13-E-30

CANONES ET DECRETA

SACROSANCTI OECUMENICI

CONCILII TRIDENTINI

SUB PAULO III. IULIO III. ET PIO IV.

PONTIFICIBUS MAXIMIS.

Th 184

CUM PATRUM SUBSCRIPTIONIBUS.

Masarykova univerzita v Brně
3862

ROMAE
IN COLLEGIO URBANO DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCXXXIV.

S. REVERENDI CONSISTORII CATHOL. DRESDENSIS
PERMISSU EDITI

LIPSIAE
SUMPTU CAR. FR. KOEHLER ET BERNH. TAUCHNITZ iun.

MDCCCXXXVII.

89/44

ÚSTŘEDNÍ KNIHOVNA
PRÁVNICKÉ FAKULTY UJEP
STARÝ FOND
Č. inv.: 0520

BULLA INDICTIONIS
SACROSANCTI OECUMENICI
CONCILII TRIDENTINI
SUB PAULO III., PONT. MAX.

PAULUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Initio nostri huius pontificatus, quem non ob merita nostra, sed propter suam magnam bonitatem Dei omnipotentis providentia nobis commisit, cernentes iam tum, in quas perturbationes temporum, quotque incommoda rerum fere omnium nostra pastoralis sollicitudo et vigilia esset vocata, cupiebamus quidem mederi Christianae reipublicae malis, quibus illa iam dudum vexata, et propemodum oppressa est; sed ipsi etiam, ut homines circumdati infirmitate [1]), ad tantum onus tollendum impares vires nostras esse sentiebamus. Nam quum pace opus esse intelligeremus ad liberandam et conservandam a plurimis impendentibus periculis rempublicam, omnia invenimus odiis et dissensionibus plena, dissentientibus praesertim principibus iis inter se, quibus summa rerum paene omnis a Deo permissa est. Quum unum ovile [2]) et unum pastorem do-

1) Hebr. V. 2. 2) Ioan. X. 16.

minici esse gregis ad integritatem Christianae religionis et ad coelestium bonorum spem in nobis confirmandam necessarium duceremus, schismatis, dissidiis, haeresibus erat Christiani nominis divulsa iam paene et lacerata unitas. Quum tutam atque munitam ab infidelium armis atque insidiis rempublicam optaremus, nostris erratis nostraque cunctorum culpa, Dei videlicet ira peccatis nostris
4. imminente, Rhodus fuerat amissa, Hungaria vexata, conceptum et meditatum contra Italiam, contraque Austriam et Illyricum terra marique bellum, quum impius et immitis hostis noster Turca nullo tempore requiesceret, nostrorumque inter se odia et dissensiones suam bene gerendae rei occasionem duceret. Igitur, ut dicebamus, in tanta haeresum, dissensionum bellorumque tempestate, tantisque excitatis fluctibus, quum essemus ad moderandam et gubernandam Petri naviculam vocati, nec viribus ipsi nostris satis fideremus, primum coniecimus in Domino cogitatus nostros[3]), ut ipse nos nutriret, animumque nostrum firmitate et robore, mentem consilio sapientiaque instrueret. Deinde, animo repetentes, maiores nostros, sapientia admirabili et sanctitate praeditos, saepe in summis Christianae reipublicae periculis remedium optimum atque opportunissimum oecumenica concilia et episcoporum generales conventus adhibuisse, ipsi quoque animum ad generale habendum concilium adiecimus; exquisitisque principum sententiis, quorum nobis videbatur utilis in primis et opportuna ad hanc rem esse consensio, quum eos tunc non alienos ab hoc tam sancto opere invenissemus, oecumenicum concilium, et generalem eorum episcoporum

3) Psalm. LIV. 23.

aliorumque Patrum, ad quos pertineret, conventum in civitate Mantuae indiximus, anno incarnationis Domini, sicut literis et monumentis nostris testatum est, millesimo quingentesimo trigesimo septimo, pontificatus nostri tertio, ad x. Kalend. Iun. inchoandum; spem prope certam habentes fore, ut, quum illic in nomine Domini essemus congregati, ipse, sicut promisit, Dominus in medio nostrum affuturus[4]), et bonitate ac misericordia sua omnes temporum procellas omniaque pericula spiritu oris sui facile depulsurus esset. Sed, ut semper insidiatur piis actionibus humani generis hostis, primum contra omnem spem et exspectationem nostram denegata fuit nobis Mantuana civitas, nisi aliquas conditiones subiremus ab institutis maiorum nostrorum, et conditione temporum, nostraque 5.
ac huius sanctae sedis ac nominis ecclesiastici dignitate libertateque prorsus alienas; quas in aliis nostris literis expressimus. Quapropter alium invenire locum aliamque deligere civitatem necesse habuimus, quae quum non statim nobis occurreret idonea et apta, ad sequentes Kal. Nov. prorogare concilii celebrationem fuimus coacti. Interim saevus et perpetuus hostis noster Turca, ingenti classe Italiam adortus, aliquot oppida in litoribus Apuliae cepit, vastavit, diripuit, praedas hominum abegit; nos in maximo timore et periculo omnium muniendis litoribus nostris, finitimisque auxilio iuvandis fuimus occupati; nec tamen interea destitimus consulere et hortari Christianos principes, ut de idoneo ad habendum concilium loco quid sentirent nobis exponerent, quorum quum essent incertae variaeque sententiae, tempusque diutius, quam erat opus,

4) Matth. XVIII. 20.

videretur extrahi, nos optimo animo, atque, ut arbitramur, etiam consilio, Vincentiam elegimus, urbem copiosam, et Venetorum, qui eam nobis concedebant, virtute, auctoritate, potentia cum aditum patentem, tum stationem omnibus liberam atque tutam in primis in se habentem. Sed, quum iam tempus longius progressum esset, novaeque urbis electionem omnibus significari conveniret, iamque Kalendae Novembris appetentes facultatem huius divulgationis excluderent, hiemsque esset propinqua, rursus altera prorogatione tempus concilii differre in proximum sequens ver Maiique futuras Kalendas compulsi fuimus. Qua re firmiter constituta atque decreta, quum et nos ipsos, et cetera omnia ad eum bene agendum, Deo iuvante, celebrandumque conventum pararemus, plurimum reputantes interesse cum celebrationis concilii, tum universae Christianae reipublicae, Christianos principes pace inter se et concordia consentire, carissimos in Christo filios nostros, Carolum Romanorum imperatorem semper augustum, et Christianissimum regem Franciscum, duo praecipua Christiani nominis firmamenta atque subsidia,
6. orare atque obsecrare institimus, ut ad colloquium inter se et nobiscum una convenirent; quorum quidem apud utrumque literis, nunciis, et a latere nostro missis ex venerabilium fratrum nostrorum numero legatis, saepissime egeramus, ut ex simultate et dissidiis ambo in unum foedus et piam amicitiam vellent convenire, labentibusque succurrere Christianis rebus; quarum servandarum quum esset illis potestas a Deo praecipue tributa, si id non agerent, et ad commune Christianorum bonum sua consilia non dirigerent, acris et severa ratio eidem Deo ab ipsis reddenda esset. Qui aliquando precibus nostris annuentes Nicaeam se contulere, quo nos quoque longum iter, et senili aetati nostrae vehementer contrarium, Dei et pacis conciliandae causa suscepimus; neque praetermisimus interea, quum tempus concilii praestitutum, Kalendae videlicet Maiae, appropinquaret, tres legatos summae virtuti ac auctoritatis a latere nostro, de numero eorundem fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, Vincentiam mitteres, qui initium concilii facerent, praelatosque undique venientes exciperent, et ea, quae iudicarent esse opus, agerent et tractarent, quoad nos, ab itinere et negotio pacis reversi, omnia accuratius dirigere possemus. Interim vero in illud sanctum opus maximeque necessarium, tractationem videlicet pacis inter principes, incubuimus, et quidem omni animi studio, omni pietate ac diligentia. Testis est nobis Deus, cuius freti clementia nosmetipsos itineris et vitae periculo exposuimus; nostra testis conscientia, quae nihil habet in hac re quidem, in quo nos arguat aut praetermissae, aut non quaesitae ad pacificandum occasionis; principes ipsi testes, quos tam saepe tamque vehementer nunciis, literis, legatis, monitis, hortatu, precibusque omnibus obsecraveramus, ut simultates deponerent, ut in societatem coirent, ut Christianae reipublicae in maximum et propinquum iam adductae discrimen communibus studiis et subsidiis opitularentur; iam vero testes illae vigiliae atque curae, illi diurni nocturnique animi nostri labores, gravesque sollicitudines, quas ob hanc rem et causam plurimas iam suscepimus. Nec tamen ad opta- 7.
tum exitum nostra consilia et acta adhuc perducta sunt. Ita enim visum Domino Deo est, quem tamen non desperamus aliquando optata nostra benignius respecturum. Ipsi quidem, quantum in nobis fuit, nihil, quod esset nostro

pastorali officio debitum, in hac re omisimus. Quod si qui sunt, qui actiones paeis nostras in aliam interpretentur partem, dolemus quidem; sed tamen in dolore nostro gratias Deo omnipotenti agimus, qui ad exemplum et doctrinam patientiae nostrae suos voluit Apostolos haberi dignos, qui pro nomine Iesu, qui pax nostra est, contumeliam paterentur[5]). Verum in illo congressu colloquioque nostro, quod Nicaeae habitum est, etsi, peccatis nostris impedientibus, inter duos principes vera et perpetua pax non potuit confici, induciae tamen decennales factae sunt, quarum opportunitate nos sperantes et sacrum concilium commodius celebratum iri, et deinde ex concilii auctoritate perfici posse pacem, apud principes institimus, ut et ipsi venirent ad concilium, et praelatos suos praesentes ducerent, absentesque accerserent. Qui quum de utroque se excusassent, quod et ipsis redire in regna sua tum necesse esset, et praelatos, quos secum habuissent, itinere atque impendiis fessos atque exhaustos recreari et refici oporteret, nos hortati sunt, ut aliam quoque prorogationem temporis habendi concilii decerneremus. Qua in re concedenda quum essemus aliquantum difficiles, literas interim a legatis nostris, qui Vincentiae erant, accepimus, transacto iam et longius praeterito concilii ineundi die, unum vix aut alterum ex externis nationibus praelatum Vincentiam se contulisse. Quo nuncio accepto, quum videremus eo tempore nulla iam ratione haberi concilium posse, ipsis principibus concessimus, ut differretur tempus agendi concilii usque ad sanctum Pascha, diemque
8. festum futurae dominicae Resurrectionis. Cuius nostri praecepti exspectationisque decretae literae Genuae anno

5) Act. V. 41.

incarnationis Domini MDXXXVIII. IV. Kal. Iul. factae publicataeque sunt, atque hanc dilationem eo propensius fecimus, quod pollicitus est nobis uterque princeps, legatos suos Romam ad nos se missurum, ut ea, quae ad perfectionem pacis reliqua essent, neque Nicaeae ob brevitatem temporis potuerant omnia confici, Romae commodius coram nobis agerentur et tractarentur. Et ob hanc rationem etiam a nobis ambo petierunt, ut haec pacificationis procuratio concilii celebrationi praeponeretur, quum ipsum concilium pace facta multo deinde utilius et salutarius Christianae reipublicae futurum esset. Semper enim haec pacis spes nobis iniecta principum nos voluntatibus assentiri hortata est; quam spem vehementer auxit post discessum a Nicaea nostrum ipsorum duorum principum inter se benevola amicaque congressio, quae, maxima nostre cum laetitia a nobis intellecta, confirmavit nos in bona spe, ut tandem aliquando nostras preces apud Deum exauditas et vota pacis accepta esse crederemus. Hanc igitur pacis conclusionem quum et expeteremus, et urgeremus, nec solum duobus antedictis principibus, verum etiam carissimo in Christo filio nostro Ferdinando, regi Romanorum, videretur, actionem concilii, nisi pace facta, suscipi non oportere, cunctique a nobis per literas suosque oratores contenderent, ut alias rursus temporis prorogationes faceremus, praecipue autem instaret serenissimus caesar, promisisse se demonstrans iis, qui a catholica unitate dissentiunt, se operam suam apud nos interpositurum, ut aliqua concordiae ratio iniretur, quod ante suam in Germaniam profectionem apte non posset fieri: Nos, eadem semper spe pacis, et tantorum principum voluntate adducti, quum praesertim cerneremus, ne

ad dictum quidem Resurrectionis festum alios praelatos Vincentiam convenisse, prorogationis nomen iam fugientes, quod tam saepe frustra fuerat repetitum, celebrationem generalis concilii ad nostrum et sedis apostolicae beneplacitum suspendere maluimus; itaque fecimus, et de suspensione huiusmodi literas ad singulos supradictorum principum decima die Iun. MDXXXIX. dedimus, sicut ex
9. illis perspicue potest intelligi. Ea itaque suspensione necessario per nos facta, dum tempus illud magis idoneum a nobis pacisque aliqua conclusio exspectatur, quae et dignitatem postea frequentiamque concilio, et Christianae reipublicae praesentiorem salutem erat allatura, Christianae interea res in deterius quotidie prolapsae sunt, Hungaris, rege ipsorum mortuo, Turcam vocantibus; Ferdinando rege bellum in eos movente; Belgis ad defectionem a Caesare ex parte quadam incitatis; cuius defectionis comprimendae causa per Galliam amicissime, et cum rege Christianissimo concordissime magno benevolae inter eos voluntatis indicio transiens in Belgas serenissimus caesar, et illinc deinde in Germaniam profectus, conventus Germaniae principum et civitatum tractandae eius, quam dixerat, concordiae causa habere coepit. Sed quum spe pacis iam deficiente ille quoque modus curandae in conventibus tractandaeque concordiae ad maiores potius discordias concitandas aptus esse videretur, inducti fuimus ad pristinum concilii generalis remedium reverti, idque per legatos nostros S. R. E. cardinales ipsi caesari obtulimus; quod etiam postremo, et praecipue in Ratisponensi conventu egimus, quum illic dilectus filius noster Gaspar tit. S. Praxedis cardinalis Contarenus summa doctrina et integritate legatum nostrum ageret. Nam quum,

id quod ne accideret antea veriti eramus, ex eius conventus sententia peteretur a nobis, ut ab ecclesia dissentientium quosdam articulos tolerandos declararemus, quoad per oecumenicum concilium illi excuterentur et deciderentur, idque nobis ut concederemus neque Christiana et catholica veritas, neque nostra et sedis apostolicae dignitas permitteret, palam potius concilium, ut quam primum fieret, proponi mandavimus. Neque vero in alia unquam sententia et voluntate fuimus, quam ut primo quoque tempore concilium oecumenicum et generale congregaretur. Sperabamus enim ex eo et pacem populo Christiano, et Christianae religionis integritatem posse recuperari; verumtamen id cum bona gratia et voluntate Christianorum principum habere volebamus. Quam voluntatem 10.
dum exspectamus, dum observamus tempus absconditum, tempus beneplaciti tui, o Deus[6]), aliquando tandem decernere compulsi sumus, omne esse tempus beneplacitum Deo, quum de rebus sanctis et ad Christianam pietatem pertinentibus consilia ineuntur. Quapropter videntes, maximo quidem animi nostri cum dolore, rem Christianam quotidie in peius ruere, Hungaria a Turcis oppressa, Germanis periclitantibus, ceteris omnibus metu moeroreque afflictis, nullius iam principis consensum exspectare, sed tantum Dei omnipotentis voluntatem, et Christianae reipublicae utilitatem attendere constituimus. Itaque quum Vincentiam amplius non haberemus, cuperemusque cum universae Christianorum saluti, tum Germanicae nationis incommodis in eligendo per nos novi concilii habendi loco consulere, aliquotque locis propositis ipsam Tridentinam

---

6) Psalm. LXVIII. 14.

civitatem ab ipsis desiderari videremus: nos, etsi in citeriore Italia commodius omnia tractari posse iudicabamus, ad eorum tamen postulationes nostram voluntatem paterna caritate deflexímus. Itaque Tridentum civitatem elegimus, qua in civitate oecumenicum concilium ad proxime venturas Kalend. Novemb. haberetur; idoneum locum illum statuentes, quo ex Germania quidem aliisque Germaniae finitimis nationibus facillime, ex Gallia, Hispania ceterisque provinciis remotioribus non difficiliter episcopi et praelati convenire possent. Dies autem concilii ea a nobis spectata est, quae spatium in se haberet et publicandi per Christianas nationes nostri huius decreti, et facultatis omnibus praelatis ad veniendum tribuendae. Quo minus autem annuum tempus praefiniremus mutando concilii loco, sicut quibusdam constitutionibus alias praescriptum est[7]), ea res fuit in causa, quod longius extrahi spem sanandae aliqua in parte Christianae reipublicae, quae tot detrimentis et calamitatibus affecta est, noluimus; et tamen videmus tempora, agnoscimus difficultates, quid sperari possit ex consiliis nostris incertum esse intelligimus.
11. Sed quia scriptum est: *Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet*[8]): magis Dei clementiae et misericordiae confidere, quam nostrae imbecillitati diffidere constituimus. Saepe enim fit in bonis operibus incipiendis, ut quod humana consilia non valent divina virtus efficiat. Huius igitur ipsius Dei omnipotentis, Patris, et Filii et Spiritus sancti, ac beatorum eius Apostolorum, Petri et Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti atque subnixi, de venerabilium item fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, sublata amotaque suspensione, de qua supra commemoratum est, quam per praesentes tollimus et amovemus, sacrum oecumenicum et generale concilium in civitate Tridentina, loco commodo et libero omnibusque nationibus opportuno, ad Kalendas proximas Novembris anni praesentis ab incarnatione Domini MDXLII. incipiendum, prosequendum, et eodem Domino adiuvante, ad ipsius gloriam atque laudem, et Christiani totius populi salutem absolvendum perficiendumque indicimus, annunciamus, convocamus, statuimus atque decernimus; omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et dilectos filios abbates, quam alios quoscunque, quibus iure aut privilegio in conciliis generalibus residendi et sententias in eis dicendi permissa potestas est, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis vi iurisiurandi, quod nobis et huic sanctae sedi praestiterunt, ac sanctae virtute obedientiae, aliisque sub poenis iure aut consuetudine in celebrationibus conciliorum adversus non accedentes ferri et proponi solitis, mandantes arcteque praecipientes, ut ipsimet, nisi forte iusto detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur, aut certe per suos legitimos procuratores et nuncios sacro huic concilio omnino adesse et interesse debeant; supra autem dictos, imperatorem, regemque Christianissimum, nec non ceteros reges, duces, principes, quorum praesentia, si alias unquam, hoc quidem tempore maxime sanctissimae Christi fidei et Chri- 12.
stianorum omnium futura est salutaris, rogantes atque obsecrantes per viscera misericordiae Dei et Domini nostri

7) Conc. Constantiens. Sess. XXXIX.
8) Psalm. XXXVI. 5.

Iesu Christi, cuius fidei veritas et religio et intus et extra graviter iam oppugnatur, ut, si salvam volunt Christianam esse rempublicam, si se Domino obstrictos et obligatos pro maximis illius erga se beneficiis intelligunt, ne deserant ipsius Dei causam et negotium, ipsimet ad sacri concilii celebrationem veniant, in quo ipsorum pietas atque virtus communi utilitati, salutique suae ac ceterorum et temporali et aeternae plurimum est profutura. Sin autem, id quod nollemus, accedere ipsi non poterunt, at graves saltem viros legatos cum auctoritate mittant, qui personam principis sui quisque et cum prudentia et cum dignitate possint in concilio referre. In primis vero ut id curent, quod ipsis facillimum est, ut ex suis cuiusque regnis ac provinciis episcopi et praelati sine tergiversatione et mora ad concilium proficiscantur, quod maxime quidem a praelatis principibusque Germaniae Deum ipsum atque nos impetrare aequum est, ut, quum eorum praecipue causa ipsisque cupientibus concilium indictum sit, et in ea civitate indictum, quae ab eis est desiderata, non graventur ipsi sua cunctorum praesentia id celebrare et ornare, quo melius atque commodius quae ad integritatem et veritatem Christianae religionis, quae ad bonorum morum reductionem emendationemque malorum, quae ad Christianorum inter se tam principum quam populorum pacem, unitatem concordiamque pertineant, et quae ad repellendos impetus barbarorum et infidelium, quibus illi universam Christianitatem obruere moliuntur, sint necessaria, Deo nostris consultationibus praeeunte, et lumen sapientiae suae ac veritatis mentibus nostris praeferente, agi in dicto sacro oecumenico concilio, et conspirante omnium caritate consuli, tra-

ctari, confici, ad optatosque exitus deduci quam primum et quam optime possint. Atque ut nostrae hae literae, et quae in eis continentur, ad notitiam cunctorum, quorum oportet, perveniant, neve quis illorum ignorantiae excusationem praetendat, quum praesertim etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illae essent intimandae, tutus forsitan pateat accessus: volumus et 13.
mandamus, ut in basilica Vaticana principis Apostolorum, et in ecclesia Lateranensi, quum ibi multitudo populi ad audiendam rem divinam congregari solita est, palam clara voce per curiae nostrae cursores aut notarios aliquos publicos legantur, lectaeque in valvis dictarum ecclesiarum, itemque cancellariae apostolicae portis, et Campi Florae solito loco affigantur, ubi ad lectionem et notitiam cunctorum aliquamdiu expositae pendeant; quumque inde amovebuntur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa. Nos enim per lectionem, publicationem affixionemque huiusmodi omnes et quoscunque, quos antedictae nostrae literae comprehendunt, post spatium duorum mensium a die literarum publicationis et affixionis ita volumus obligatos esse atque adstrictos, ac si ipsismet illae coram lectae et intimatae essent; transsumptis quidem earum, quae manu publici notarii scripta aut subscripta, et sigillo personae alicuius ecclesiasticae in dignitate constitutae munita fuerint, ut fides certa et indubitata habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae indictionis, annunciationis, convocationis, statuti, decreti, mandati, praecepti et obsecrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prae-

sumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae MDXLII. XI. Kalend. Iun. pontificatus nostri anno VIII.

BLOSIUS.

HIER. DAND.

SESSIO PRIMA

SACROSANCTI OECUMENICI ET GENERALIS

CONCILII TRIDENTINI

SUB PAULO III. PONTIFICE MAXIMO,

CELEBRATA

DIE XIII. MENSIS DECEMBRIS ANNO DOM. MDXLV.

DECRETUM DE INCHOANDO CONCILIO.

Placetne vobis, ad laudem et gloriam sanctae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus sancti, ad incrementum et exaltationem fidei et religionis Christianae, ad exstirpationem haeresum, ad pacem et unionem ecclesiae, ad reformationem cleri et populi Christiani, ad depressionem et exstinctionem hostium Christiani nominis, decernere et declarare, sacrum Tridentinum et generale concilium incipere, et inceptum esse? Responderunt: *Placet.*

Indictio futurae sessionis.

Et quum proxima sit celebritas Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, et subsequantur aliae festivitates labentis et incipientis anni, placetne vobis, primam futuram sessionem habendam esse die Iovis post Epiphaniam, quae erit septima mensis Ian. anno Domini MDXLVI? Responderunt: *Placet.*

SESSIO SECUNDA,

CELEBRATA

DIE VII. MENSIS IANUARII MDXLVI.

DECRETUM DE MODO VIVENDI, ET ALIIS IN CONCILIO SERVANDIS.

Sacrosancta Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea praesidentibus eisdem tribus apostolicae sedis legatis, agnoscens cum beato Jacobo Apostolo, quod omne datum 15.

optimum[1]) et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, qui iis, qui postulant a se sapientiam, dat omnibus affluenter, et non improperat eis; et simul sciens, quod initium sapientiae est timor Domini[2]): statuit et decrevit, omnes et singulos Christi fideles, in civitate Tridentina congregatos, exhortandos esse, prout exhortatur, ut se a malis et peccatis hactenus commissis emendare, ac de cetero in timore Domini ambulare, et desideria carnis non perficere[3]), orationibus instare, saepius confiteri, eucharistiae sacramentum sumere, ecclesias frequentare, praecepta denique dominica, quantum quisque poterit, adimplere, nec non quotidie pro pace principum Christianorum et unitate ecclesiae privatim orare velint; episcopos vero, et quoscunque alios in ordine sacerdotali constitutos, oecumenicum concilium in ea civitate concelebrantes, ut assidue in dei laudibus incumbere, hostias, laudes et preces offerre, sacrificium missae quolibet saltem die dominico, in quo Deus lucem condidit, et a mortuis resurrexit, ac Spiritum sanctum in discipulos infudit[4]), peragere satagant, facientes, sicut idem Spiritus sanctus per Apostolum praecipit[5]), obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro sanctissimo domino nostro Papa, pro imperatore, pro regibus, et ceteris, qui in sublimitate constituti sunt, et pro omnibus hominibus, ut quietam et tranquillam vitam agamus, pace fruamur, et fidei incrementum videamus. Praeterea hortatur, ut ieiunent saltem singulis sextis feriis in memoriam passionis Domini, et eleemosynas pauperibus erogent. In ecclesia autem cathedrali singulis quintis feriis celebretur missa de Spiritu sancto cum litaniis et aliis orationibus ad hoc institutis; in aliis vero ecclesiis eadem die
16. dicantur ad minus litaniae et orationes. Tempore autem, quo sacra peraguntur, collocutiones et confabulationes non fiant, sed ore et animo celebranti assistatur. Et quoniam oportet episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suae bene praepositos[6]), hortatur etiam, ut ante omnia quilibet in mensa servet sobrietatem moderationemque ciborum; deinde, quum in eo loco saepe otiosi sermones oriri soleant, ut in ipsorum episcoporum mensis divinarum scripturarum lectio admisceatur[7]); familiares vero suos unusquisque instruat et erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemi et voluptatum amatores; vitia demum fugiant et virtutes amplectantur, et in vestitu, et cultu, et omnibus actibus honestatem prae se ferant, sicut decet ministros ministrorum Dei. Ad haec, quum huius sacrosancti concilii praecipua cura, sollicitudo et intentio sit, ut propulsatis haeresum te-

Sess. II. 1) Iac. I. 17. — 2) Prov. I. 7. IX. 10. Psalm. CX. 10. Eccles. I. 16. — 3) Gal. V. 16. — 4) Act. II. — 5) 1 Tim. II. 1. seqq. — 6) 1 Tim. III. 2 seqq. — 7) c. 11. D. XLIV. (conc. Tol. III.)

nebris, quae per tot annos operuerunt terram, catholicae veritatis lux, Iesu Christo, qui vera lux est[8]), annuente, candor puritasque refulgeat, et ea, quae reformatione egent, reformentur: ipsa synodus hortatur omnes catholicos hic congregatos et congregandos, atque eos praesertim, qui sacrarum literarum peritiam habent, ut sedula meditatione diligenter secum ipsi cogitent, quibus potissimum viis et modis ipsius synodi intentio dirigi, et optatum effectum sortiri possit, quo maturius et consultius damnari damnanda, et probanda probari queant, ut per totum orbem omnes uno ore et eadem fidei confessione glorificent Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi.

In sententiis vero dicendis, iuxta Toletani concilii statutum[9]), 17.
in loco benedictionis considentibus Domini sacerdotibus, nullus debeat aut immodestis vocibus perstrepere, aut tumultibus perturbare, nullis etiam falsis vanisve aut obstinatis disceptationibus contendere; sed quicquid dicatur sic mitissima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti iudicii acies perturbato animo inflectatur.

Insuper ipsa sacra synodus statuit ac decrevit, quod, si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, et sententiam, etiam sub verbo *Placet*, proferre, congregationibus interesse, et alios quoscunque actus facere concilio durante, nulli propterea praeiudicium generetur, nullique novum ius acquiratur[10]).

Deinde indicta fuit futura sessio ad diem Iovis quartam Mensis Feb. proxime venturi.

SESSIO TERTIA,

CELEBRATA

DIE IV. MENSIS FEBRUARII MDXLVI.

DECRETUM DE SYMBOLO FIDEI.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus sancti.

Haec sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea praesidentibus eisdem tribus apostolicae sedis legatis, magnitudinem rerum tra-

Sess. III. 8) Ioan. I. 9. — 9) c. 3. C. V. qu. 4. (conc. Tol. XI.) — 10) repetitum Sess. XXV. extr.

etandarum considerans, praesertim earum, quae duobus illis capitibus de exstirpandis haeresibus et moribus reformandis continentur, quorum causa praecipue est congregata; agnoscens autem cum Apostolo[1]), non esse sibi colluctationem adversus carnem et sanguinem, sed adversus spirituales nequitias in coelesti-
18. bus, cum eodem omnes et singulos in primis hortatur, ut confortentur in Domino et in potentia virtutis eius, in omnibus sumentes scutum fidei[2]), in quo possint omnia tela nequissimi ignea exstinguere, atque galeam spei salutis accipiant cum gladio spiritus, quod est verbum Dei. Itaque, ut haec pia eius sollicitudo principium et progressum suum per Dei gratiam habeat, ante omnia statuit et decernit, praemittendam esse confessionem fidei, Patrum exempla in hoc secuta, qui sacratioribus conciliis hoc scutum contra omnes haereses in principio suarum actionum apponere consuevere, quo solo aliquando et infideles ad fidem traxerunt, haereticos expugnarunt, et fideles confirmarunt. Quare symbolum fidei, quo sancta Romana ecclesia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum et unicum, contra quod portae inferi nunquam praevalebunt[3]), totidem verbis, quibus in omnibus ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit. Quod quidem eiusmodi est[4]):

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium, et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in coelum, sedet ad dex-
teram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et
19. *mortuos, cuius regni non erit finis; et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas; et unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.*

Indictio futurae sessionis.

Eadem sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea praesidentibus

Sess. III. 1) Eph. VI. 12. — 2) Ibid. 16. — 3) Matth. XVI. 18. — 4) cf. conc. Constant. I. c. 4.

eisdem tribus apostolicae sedis legatis, intelligens multos praelatos ex diversis partibus accinctos esse itineri, nonnullos etiam in via esse, quo huc veniant; cogitansque omnia ab ipsa sacra synodo decernenda eo maioris apud omnes existimationis et honoris videri posse, quo maiori fuerint et pleniori Patrum consilio et praesentia sancita et corroborata: statuit et decrevit, futuram sessionem post praesentem celebrandam esse die Iovis, quae subsequetur dominicam *Laetare* proxime futuram; interim tamen non differri discussionem et examinationem eorum, quae ipsi synodo discutienda et examinanda videbuntur.

SESSIO QUARTA,

CELEBRATA

DIE VIII. MENSIS APRILIS MDXLVI.

DECRETUM DE CANONICIS SCRIPTURIS.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus apostolicae sedis legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus puritas ipsa evangelii in ecclesia conservetur, quod promissum ante per Prophetas in scripturis 20
sanctis[1]) Dominus noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicari iussit[2]); perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis[3]), Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt; orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi testamenti, quum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas, et continua successione in ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit[4]), ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint qui ab ipsa

Sess. IV. 1) Ierem. XXXI. 22. — 2) Matth. XXVIII. 19. seq. Marc. XVI. 15. — 3) 2 Thess. II. 14. — 4) cf. conc. Laod. c. 59. Conc. Carth. III. c. 47. Rom. sub Gelas. (c. 3. D. XV.) et ep. Eug. III. in conc. Flor. ad Armenos.

synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti: Testamenti veteris: quinque Moysis, id est: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iosuae, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, id est: Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum,
21. primus et secundus. Testamenti novi: quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Ioannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli, ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli duae, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudae Apostoli una, et Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, anathema sit. Omnes itaque intelligant, quo ordine et via ipsa synodus post iactum fidei confessionis fundamentum sit progressura, et quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in ecclesia moribus sit usura.

DECRETUM DE EDITIONE ET USU SACRORUM LIBRORUM.

Insuper eadem sacrosancta synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat.

Praeterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, sacram scripturam ad
22. suos sensus contorquens[5]), contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et

Sess. IV. 5) c. 27. C. XXIV. qu. 3. (Hieron.) et c. 39. § 70. ead. (Isidor.)

interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent. Qui contravenerint per ordinarios declarentur, et poenis a iure statutis puniantur.

Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens, qui iam sine modo, hoc est, putantes sibi licere quicquid libet, sine licentia superiorum ecclesiasticorum ipsos sacrae scripturae libros, et super illis annotationes et expositiones quorumlibet indifferenter, saepe tacito, saepe etiam ementito prelo, et, quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros huiusmodi temere venales habent, decernit et statuit, ut posthac sacra scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur, nullique liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum exanimati probatique fuerint ab ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone concilii novissimi Lateranensis apposita[6]). Et, si regulares fuerint, ultra examinationem et probationem huiusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris iuxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subiaceant, quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti vel impressi, authentice appareat, idque 23.
totum, hoc est, et probatio et examen, gratis fiat, ut probanda probentur, et reprobentur improbanda.

Post haec temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaeque convertuntur et torquentur verba et sententiae sacrae scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat et praecipit, ad tollendam huiusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba scripturae sacrae ad haec et similia audeat usurpare, ut omnes huius generis homines temeratores et violatores verbi Dei iuris et arbitrii poenis per episcopos coerceantur.

Indictio futurae sessionis.

Item haec sacrosanta synodus statuit et decernit, proximam futuram sessionem tenendam et celebrandam esse feria quinta, post sacratissimum festum proximum Pentecostes.

Sess. IV. 6) cf. c. 3. de libr. prohib. in VII. V. 4. (Leo X.) et infr. inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas.

SESSIO QUINTA.

CELEBRATA

DIE XVII MENSIS IUNII MDXLVI.

DECRETUM DE PECCATO ORIGINALI.

Ut fides nostra catholica, sine qua impossibile est placere Deo[1]), purgatis erroribus, in sua sinceritate integra et illibata permaneat, et ne populus Christianus omni vento doctrinae circumferatur[2]), quum serpens ille antiquus[3]), humani generis perpetuus
24. hostis, inter plurima mala, quibus ecclesia Dei his nostris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali eiusque remedio non solum nova, sed vetera etiam dissidia excitaverit: sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus apostolicae sedis legatis, iam ad revocandos errantes et nutantes confirmandos accedere volens, sacrarum scripturarum, et sanctorum Patrum, ac probatissimorum conciliorum testimonia et ipsius ecclesiae iudicium et consensum secuta, haec de ipso peccato originali statuit, fatetur ac declarat:

1. Si quis non confitetur, primum hominem Adam, quum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis huiusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus[4]), et cum morte captivitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium[5]), hoc est diaboli, totumque Adam, per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse: anathema sit.

25. 2. Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non eius propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae: anathema sit, quum contradicat Apostolo dicenti[6]): *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

3. Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest uni-

Sess. V. 1) Hebr. XI. 6. — 2) Ephes. IV. 14. — 3) Gen. II. — 4) Gen. II. 17. III. 17. — 5) Hebr. II. 14. — 6) Rom. V. 12.

cuique proprium, vel per humanae naturae vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo[7]), factus nobis iustitia, sanctificatio et redemptio[8]), aut negat ipsum Christi Iesu meritum per baptismi sacramentum in forma ecclesiae rite collatum, tam adultis quam parvulis applicari: anathema sit, quia non est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri[9]). Unde illa vox[10]): *Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi;* et illa[11]): *Quicunque baptizati estis, Christum induistis.*

4. Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur: anathema sit, quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus[12]): *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt,* nisi quemadmodum ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur[13]), ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire* 26.
in regnum Dei[14]).

5. Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari: anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt[15]) cum Christo per baptisma in mortem; qui non secundum carnem ambulant[16]), sed, veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes[17]), innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec sancta synodus fatetur et sentit, quae quum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Iesu gratiam repugnanti-

Sess. V. 7) Ephes. II. 13. Coloss. II. 13. 1 Tim. II. 5. seq. — 8) 1 Cor. I. 30. — 9) Act. IV. 12. — 10) Ioan. I. 29. — 11) Gal. III. 27. — 12) Rom. V. 12. — 13) c. 136. D. IV. de cons. (Aug.) c. 153. ead. (conc. Carth. A. 418.) — 14) Ioan. III. 5. — 15) Rom. VI. 4. — 16) ib. VIII. 1.— 17) Coloss. III. 9. 10. Eph. IV. 24. Gal. III. 27.

bus non valet; quinimmo qui legitime certaverit coronabitur[18]. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat[19]), sancta synodus declarat ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit: anathema sit.

Declarat tamen haec ipsa sancta synodus, non esse suae intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem, sed observandas esse constitutiones fel. rec. Sixti Papae IV.[20]) sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.

27. ## DECRETUM DE REFORMATIONE.

CAPUT I.

De instituenda lectione sacrae scripturae et liberalium artium.

Eadem sacrosancta synodus, piis summorum Pontificum et probatorum conciliorum[21]) constitutionibus inhaerens, easque amplectens, et illis adiiciens, ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat, statuit et decrevit, quod in illis ecclesiis, in quibus praebenda, aut praestimonium seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacrae theologiae deputatum reperitur, episcopi, archiepiscopi, primates et alii locorum ordinarii, eos, qui praebendam, aut praestimonium seu stipendium huiusmodi obtinent, ad ipsius sacrae scripturae expositionem et interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum, ab ipsis episcopis, archiepiscopis, primatibus et aliis locorum ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum cogant et compellant. De cetero vero praebenda, praestimonium aut stipendium huiusmodi non nisi personis idoneis, et quae per se ipsas id munus explicare possint, conferantur, et aliter facta provisio nulla sit et invalida. In ecclesiis autem metropolitanis vel cathedralibus, si civitas insignis vel populosa, ac etiam in collegiatis exsistentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius dioecesis, si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla praebenda, aut praestimonium seu stipendium huiusmodi deputatum reperitur, praebenda quomodocunque, praeter-
28. quam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus in-

Sess. V. 18) 2 Tim. II. 5. — 19) Rom. VI. 12. VII. 8. — 20) c. 1. 2. Extrav. comm. III. 12. et infra inter const. ex iur. ant. desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 21) cf. c. 12. D. XXXVII. (conc. Eug. II.) c. 4. X. de magistris V. 5. (conc. Lat. IV.) c. 5. ib. (Honor. III.) — infr. Sess. XXIII. de ref. c. 18.

compatibile iniunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis ecclesiis nulla vel non sufficiens praebenda foret[22]), metropolitanus vel episcopus ipse per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficii, eiusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suae civitatis et dioecesis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacrae scripturae lectio habeatur, ita tamen, ut quaecunque aliae lectiones, vel consuetudine vel quavis alia ratione institutae, propter id minime praetermittantur. Ecclesiae vero, quarum annui proventus tenues fuerint, et ubi tam exigua est cleri et populi multitudo, ut theologiae lectio in eis commode haberi non possit, saltem magistrum habeant[23]) ab episcopo cum consilio capituli eligendum, qui clericos aliosque scholares pauperes grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa sacrae scripturae studia annuente Deo transire possint. Ideoque illi magistro grammatices vel alicuius simplicis beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perstiterit, assignentur, (dum tamen beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio), vel ex capitulari vel episcopali mensa condigna aliqua merces persolvatur, vel alias episcopus ipse aliquam rationem ineat suae ecclesiae et dioecesi accommodam, ne pia haec, utilis atque fructuosa provisio quovis quaesito colore negligatur. In monasteriis quoque monachorum ubi commode fieri queat, etiam lectio sacrae scripturae habeatur. Qua in re si abbates negligentes fuerint, episcopi locorum, ex hoc ut sedis apostolicae delegati, eos ad id opportunis 29.
remediis compellant. In conventibus vero aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possunt, sacrae scripturae lectio similiter habeatur, quae lectio a capitulis generalibus vel provincialibus assignetur dignioribus magistris. In gymnasiis etiam publicis, ubi tam honorifica et ceterorum omnium maxime necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, religiosissimorum principum ac rerumpublicarum pietate et caritate ad catholicae fidei defensionem et incrementum, sanaeque doctrinae conservationem et propagationem instituatur, et, ubi instituta foret et negligeretur, restituatur. Et, ne sub specie pietatis impietas disseminetur, statuit eadem sancta synodus, neminem ad huiusmodi lectionis officium tam publice quam privatim admittendum esse, qui prius ab episcopo loci de vita, moribus et scientia examinatus et approbatus non fuerit; quod tamen de lectoribus in claustris monachorum non intelligatur. Docentes vero ipsam sacram scripturam, dum publice in scholis docuerint, et scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, prae-

Sess. V. 22) infr. Sess. XXIII. de ref. c. 15. — 23) cf. c. 1. X. de magistr. V. 5. (conc. Lat. III.) et loc. citt. n. 21.

bendarum et beneficiorum suorum in absentia a iure communi concessis plene gaudeant et fruantur[24]).

CAPUT II.

De verbi Dei concionatoribus et quaestoribus eleemosynariis.

Quia vero Christianae reipublicae non minus necessaria est praedicatio evangelii[25]) quam lectio, et hoc est praecipuum epi-
30. scoporum munus[26]), statuit et decrevit eadem sancta synodus, omnes episcopos, archiepiscopos, primates et omnes alios ecclesiarum praelatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum sanctum Iesu Christi evangelium. Si vero contigerit episcopos et alios praedictos legitimo detineri impedimento, iuxta formam generalis concilii[27]) viros idoneos assumere teneantur ad huiusmodi praedicationis officium salubriter exsequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtae subiaceat ultioni. Archipresbyteri quoque, plebani, et quicunque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocunque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis[28]) et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant. Id vero si quis eorum praestare negligat, etiam si ab episcopi iurisdictione quavis ratione exemptum se esse praetenderet, etiam si ecclesiae quovis modo exemptae dicerentur, aut alicui monasterio, etiam extra dioecesim exsistenti, forsan annexae vel unitae, modo re ipsa in dioecesi sint, provida pastoralis episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur. *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis*[29]). Itaque ubi ab episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas seu alias ad ipsius episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat.
31. Si quae vero parochiales ecclesiae reperiantur subiectae monasteriis in nulla dioecesi exsistentibus, si abbates et regulares praelati in praedictis negligentes fuerint, a metropolitanis, in quorum provinciis dioeceses ipsae sitae sunt, tanquam quoad hoc se-

Sess. V. 24) c. 5. X. de magistr. V. 5. (Honor. III.) — 25) cf. Sess. XXIV. de ref. c. 4. — 26) c. 6. D. LXXXVIII. (conc. Carth. IV. seu Statt. eccl. ant.) — 27) c. 15. X. de off. iud. ord. I. 31. (conc. Lat. IV.) et infr. inter const. ex antiqu. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 28) cf. Sess. XXIV. de ref. c. 4. — 29) Ierem. Thren. IV. 4.

dis apostolicae delegatis, compellantur. Neque huius decreti executionem consuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio sive recursus impedire valeat, quousque desuper a competenti iudice, qui summarie et sola facti veritate inspecta procedat, cognitum et decisum fuerit. Regulares vero cuiuscunque ordinis, nisi a suis superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in ecclesiis suorum ordinum praedicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant. In ecclesiis vero, quae suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum etiam episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo praedicare possint[30]). Ipsam autem licentiam gratis episcopi concedant. Si vero, quod absit, praedicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in monasterio sui vel alterius ordinis praedicet, episcopus ei praedicationem interdicat. Quod si haereses praedicaverit, contra eum secundum iuris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiamsi praedicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse praetenderet. Quo casu episcopus auctoritate apostolica et tanquam sedis apostolicae delegatus procedat. Curent autem episcopi, ne quis praedicator vel ex falsis informationibus, vel alias calumniose vexetur, iustamve de eis conquerendi occasionem habeat. Caveant praeterea episcopi, ne aliquem vel eorum, qui, quum
sint nomine regulares, extra claustra tamen et obedientiam reli- 32.
gionum suarum vivunt, vel presbyterorum saecularium, nisi ipsis noti sint, et moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet privilegiorum praetextu, in sua civitate vel dioecesi praedicare permittant, donec ab ipsis episcopis super ea re sancta sedes apostolica consulatur, a qua privilegia huiusmodi nisi tacita veritate et expresso mendacio ab indignis extorqueri verisimile non est. Quaestores vero eleemosynarii[31]), qui etiam quaestuarii vulgo dicuntur, cuiuscunque conditionis exsistant, nullo modo nec per se nec per alium praedicare praesumant, et contra facientes ab episcopis et ordinariis locorum, privilegiis quibuscunque non obstantibus, opportunis remediis omnino arceantur.

Indictio futurae sessionis.

Item haec sacrosancta synodus statuit et decernit, primam futuram sessionem tenendam et celebrandam esse die Iovis, feria quinta post festum B. Iacobi Apostoli.

Prorogata deinde fuit sessio ad diem XIII. mensis Ianuarii, MDXLVII.

Sess. V. 30) c. 13. §. 6. X. de haer. V. 7. (conc. Lat. IV.) cf. infr. Sess. XXIV. de ref. c. 4. — 31) c. 14. X. de poen. et rem. V. 38. (conc. Lat. IV.) c. 11. §. 2. de haer. in VIto V. 2. (Clem. IV.) c. 2. de poen. et rem. in Clem. V. 9. (Clem. V.)

SESSIO SEXTA,

CELEBRATA

DIE XIII. MENSIS IANUARII MDXLVII.

DECRETUM DE IUSTIFICATIONE.

Prooemium.

Quum hoc tempore, non sine multarum animarum iactura et grav-
33. ecclesiasticae unitatis detrimento erronea quaedam disseminata sit de iustificatione doctrina, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, ecclesiae tranquillitatem, et animarum salutem, sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea nomine sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Pauli, divina providentia Papae tertii, reverendissimis dominis, dominis Io. Maria episcopo Praenestino de Monte, et Marcello tit. S. Crucis in Ierusalem presbytero, sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus et apostolicis de latere legatis, exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius iustificationis, quam sol iustitiae [1]) Christus Iesus, fidei nostrae auctor et consummator [2]), docuit, Apostoli tradiderunt, et catholica ecclesia Spiritu sancto suggerente perpetuo retinuit; districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, praedicare aut docere, quam praesenti decreto statuitur ac declaratur.

C. I. *De naturae et legis ad iustificandos homines imbecillitate.*

Primum declarat sancta synodus, ad iustificationis doctrinam probe et sincere intelligendam oportere, ut unusquisque agnoscat et fateatur, quod quum omnes homines in praevaricatione Adae innocentiam perdidissent [3]), facti immundi [4]), et, ut Apostolus inquit [5]), natura filii irae, quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit [6]), usque adeo servi erant peccati [7]), et sub potestate diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim naturae, sed ne Iu-
34. daei quidem per ipsam etiam literam legis Moysi inde liberari aut surgere possent, tametsi in eis liberum arbitrium minime exstinctum esset, viribus licet attenuatum et inclinatum.

C. II. *De dispensatione et mysterio adventus Christi.*

Quo factum est, ut coelestis Pater, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis [8]), Christum Iesum, Filium suum et

Sess. VI. 1) Malach. IV. 2. — 2) Hebr. XII. 2. — 3) Rom. V. 12. 1 Cor. XV. 22. — 4) Isa. LXIV. 6. — 5) Eph. II. 3. — 6) cf. Sess. V. in pr. — 7) Rom. VI. 20. — 8) 2 Cor. I. 3.

ante legem et legis tempore multis sanctis Patribus declaratum ac promissum [9]), quum venit beata illa plenitudo temporis [10]), ad homines miserit, ut et Iudaeos, qui sub lege erant, redimeret, et gentes [11]), quae non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris [12]), non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi [13]).

C. III. *Qui per Christum iustificantur.*

Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est [14]), non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt; sed ii duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur; nam, sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, quum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant: ita, nisi in Christo renascerentur, nunquam iustificarentur, quum ea renascentia per meritum passionis eius 35.
gratia, qua iusti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apostolus [15]) gratias nos semper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, et eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum.

C. IV. *Insinuatur descriptio iustificationis impii, et modus eius in statu gratiae.*

Quibus verbis iustificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae, et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum, salvatorem nostrum. Quae quidem translatio post evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est [16]): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

C. V. *De necessitate praeparationis ad iustificationem in adultis, et unde sit.*

Declarat praeterea, ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum exsistentibus meritis vocantur, ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustifica- 36.
tionem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando, disponantur ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam re-

Sess. VI. 9) Gen. XLIX. 10. 18. — 10) Gal. IV. 4. — 11) Rom. IX. 30. — 12) Rom. III. 25. — 13) 1 Ioan. II. 2. — 14) 2 Cor. V. 15. — 15) Coloss. I. 12 seq. — 16) Ioan. III. 5.

cipiens, quippe qui illam et abiicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris literis, quum dicitur[17]): *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*, libertatis nostrae admonemur; quum respondemus[18]): *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur*, Dei nos gratia praeveniri confitemur.

C. VI. *Modus praeparationis.*

Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia et adiuti, fidem ex auditu concipientes[19]), libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu[20]); et, dum peccatores se esse intelligentes, a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam[21]), quam ante baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, et
37. servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est[22]): *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit*, et[23]): *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*, et[24]): *Timor Domini expellit peccatum*, et[25]): *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti*, et[26]): *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare quaecunque mandavi vobis;* denique[27]): *Praeparate corda vestra Domino.*

C. VII. *Quid sit iustificatio impii, et quae eius causae.*

Hanc dispositionem seu praeparationem iustificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum; unde homo ex iniusto fit iustus, et ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitae aeternae[28]). Huius iustificationis causae sunt, finalis quidem, gloria Dei et Christi, ac vita aeterna; efficiens vero, misericors Deus, qui gratuito abluit[29]), et sanctificat signans et ungens[30]) Spiritu promissionis sancto[31]), qui est pignus hereditatis nostrae; meritoria autem, dilectissimus

Sess. VI. 17) Zachar. I. 3. — 18) Ierem. Thren. V. 21. — 19) Rom. X. 17. — 20) Rom. III. 24. — 21) cf. infra Sess. XIV. c. 4 de contritione. — 22) Hebr. XI. 6. — 23) Matth. IX. 2. Marc. II. 5. — 24) Eccles. I. 27. — 25) Act. II. 38. — 26) Matth. XXVIII. 19. seq. — 27) 1 Reg. VII. 3. — 28) Tit. III. 7. — 29) 1 Cor. VI. 11. — 30) Tit. III. 5. — 31) Eph. I. 13.

unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui, quum essemus inimici[32]), propter nimiam caritatem, qua dilexit nos[33]), sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit; instrumentalis item, sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei[34]), sine qua nulli unquam 38.
contigit iustificatio; demum unica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult[35]), et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem. Quanquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi[36]) communicantur, id tamen in hac impii iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur[37]) in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhaeret, unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem. Nam fides[38]), nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur, fidem sine operibus mortuam et otiosam esse[39]), et in Christo Iesu neque circumcisionem aliquid valere, neque praeputium[40]), sed fidem, quae per caritatem operatur. Hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione catechumeni ab ecclesia petunt, quum petunt fidem, vitam aeternam praestantem; quam sine spe et caritate praestare fides non potest. Unde et statim verbum Christi audiunt[41]): *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Itaque veram et christianam iustitiam accipientes, eam ceu primam stolam[42]) pro
illa, quam Adam sua inobedientia sibi et nobis perdidit, per Chri- 39.
stum Iesum illis donatam, candidam et immaculatam iubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, et habeant vitam aeternam.

C. VIII. *Quo modo intelligatur, impium per fidem et gratis iustificari.*

Quum vero Apostolus dicit[43]), iustificari hominem per fidem et gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus ecclesiae catholicae consensus tenuit et expressit; ut scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo[44]), et ad filiorum eius consortium pervenire; gratis

Sess. VI. 32) Rom. V. 10. — 33) Eph. II. 4. — 34) cf. c. 76. D. IV. de cons. (Aug.) — 35) 1 Cor. XII. 11. — 36) Phil. III. 9. 10. — 37) Rom. V. 5. — 38) cf. infra c. 10. — 39) Iac. II. 17. 20. — 40) Gal. V. 6. VI. 15. — 41) Matth. XIX. 17. — 42) Luc. XV. 22. — 43) Rom. IV. — 44) Hebr. XI. 6.

autem iustificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. *Si enim gratia est*[45]), *iam non ex operibus; aliquin*, ut idem Apostolus inquit, *gratia iam non est gratia.*

C. IX. *Contra inanem haereticorum fiduciam.*

Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum: nemini tamen fiduciam et certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti et in ea sola quiescenti peccata dimitti vel dimissa esse dicendum est, quum apud haereticos et schismati-
40. cos possit esse, immo nostra tempestate sit, et magna contra ecclesiam catholicam contentione praedicetur vana haec et ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere iustificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse iustificatos, neminemque a peccatis absolvi ac iustificari, nisi eum, qui certo credat se absolutum et iustificatum esse, atque hac sola fide absolutionem et iustificationem perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis et resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam, sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest, quum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

C. X. *De acceptae iustificationis incremento.*

Sic ergo iustificati, et amici Dei ac domestici facti[46]), euntes de virtute in virtutem[47]), renovantur, ut Apostolus inquit[48]), de die in diem: hoc est, mortificando membra carnis suae[49]), et exhibendo ea arma iustitiae in sanctificationem[50]), per observationem mandatorum Dei et ecclesiae, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis iustificantur; sicut scriptum est: *Qui iustus est*[51]) *iustificetur adhuc*; et iterum[52]): *Ne verearis usque ad mortem iustificari;* et rursus[53]): *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex*
41. *fide tantum.* Hoc vero iustitiae incrementum petit sancta ecclesia, quum orat[54]): *Da nobis, Domine, fidei spei, et caritatis augmentum.*

C. XI. *De observatione mandatorum, deque illius necessitate et possibilitate.*

Nemo autem, quantumvis iustificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet; nemo temeraria illa et a Patribus

Sess. VI. 45) Rom. XI. 6. — 46) Eph. II. 19. — 47) Psalm. LXXXIII. 8. — 48) 2 Cor. IV. 16. — 49) Coloss. III. 5. — 50) Rom. VI. 13. 19. — 51) Apoc. XXII. 11. — 52) Eccl. XVIII. 22. — 53) Iac. II. 24. — 54) Dominica XIII. post Pentecosten.

sub anathemate prohibita voce uti, Dei praecepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus[55]) impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat, ut possis. Cuius mandata gravia non sunt[56]), cuius iugum suave est et onus leve[57]). Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt; qui autem diligunt eum[58]), ut ipsemet testatur, servant sermonem eius. Quod utique cum divino auxilio praestare possunt. Licet enim in hac mortali vita quantumvis sancti et iusti in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti; nam iustorum illa vox est et humilis et verax[59]): *Dimitte nobis debita nostra*, quo fit, ut iusti ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via iustitiae sentire debeant, quo liberati iam a peccato[60]), servi autem facti Deo[61]), sobrie, iuste et pie viventes proficere possint per Christum Iesum, per[62]) quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi 42.
ab eis prius deseratur. Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se heredem esse constitutum, hereditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, ut et conglorificetur[63]). *Nam et Christus ipse*, ut inquit Apostolus[64]), *quum esset filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam, et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.* Propterea Apostolus ipse monet iustificatos, dicens[65]): *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, quum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Item princeps Apostolorum Petrus[66]): *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Haec enim facientes non peccabitis aliquando.* Unde constat, eos orthodoxae religionis doctrinae adversari[67]), qui dicunt, iustum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius est, poenas aeternas mereri, atque etiam eos[68]), qui statuunt in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam, quum scriptum sit[69]): *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem*, et de Moyse dicat Apostolus[70]), quod respiciebat in remunerationem.

Sess. VI. 55) ex Aug. libr. de nat. et grat. c. 43. — 56) 1 Ioan. V. 3. — 57) Matth. XI. 30. — 58) Ioan. XIV. 23. — 59) Matth. VI. 12. — 60) Rom. VI. 22. — 61) Tit. II. 12. — 62) Rom. V. 2. — 63) Rom. VIII. 17. — 64) Hebr. V. 8. seq. — 65) 1 Cor. IX. 24. 26. 27. — 66) II. Petr. I. 10. — 67) cf. infr. can. 25. — 68) cf. infra can. 31. — 69) Psalm. CXVIII. 112. — 70) Hebr. XI. 26.

43. C. XII *Praedestinationis temerariam praesumptionem cavendam esse.*

Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero praedestinatorum[71]), quasi verum esset, quod iustificatus aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.

C. XIII. *De perseverantiae munere.*

Similiter de perseverantiae munere, de quo scriptum est[72]): *Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit*, quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat[73]), statuere ut perseveranter stet, et eum, qui cadit, restituere: nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum[74]), ita perficiet, operans velle et perficere. Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant[75]), et cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus[76]), in vigiliis, in eleemosynis, in orationi-
44. bus, et oblationibus, in ieiuniis et castitate. Formidare enim debent, scientes, quod in spem gloriae[77]), et nondum in gloriam renati sunt, de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent, dicenti[78]): *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

C. XIV. *De lapsis et eorum reparatione.*

Qui vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt[79]), rursus iustificari poterunt, quum, excitante Deo per poenitentiae sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim iustificationis modus est lapsis reparatio, quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam sancti Patres apte nuncuparunt[80]). Etenim pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum instituit poenitentiae, quum dixit[81]): *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Unde docendum est, Christiani hominis poenitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo

Sess. VI. 71) cf. c. 17. C. XXIV. qu. 3. (August.) — 72) Matth. X. 22. XXIV. 13. — 73) Rom. XIV. 4. — 74) Phil. I. 6. — 75) 1 Cor. X. 12. — 76) Phil. II. 12. — 77) 1 Petr. I. 3. — 78) Rom. VIII. 12. 13. — 79) vid. infr. can. 23 et 29. — 80) cf. Hieron. in c. 72. D. II. de poen. — 81) Matth. XVI. 19.

cessationem a peccatis, et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum[82]), verum etiam eorundem sacramentalem confessionem saltem in voto et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem; itemque satisfactionem per ieiunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitae exercitia; non quidem pro poena aeterna, quae vel sacramento vel sacramenti voto una cum 45.
culpa remittitur, sed pro poena temporali, quae, ut sacrae literae docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiae Dei, quam acceperunt, ingrati[83]) Spiritum sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti[84]). De qua poenitentia scriptum est[85]): *Memor esto unde excideris: age poenitentiam, et prima opera fac;* et iterum[86]): *Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur;* et rursus[87]): *Poenitentiam agite, et facite fructus dignos poenitentiae.*

C. XV. *Quolibet mortali peccato amitti gratiam, sed non fidem.*

Adversus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones[88]) et benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti, divinae legis doctrinam defendendo, quae a regno Dei non solum infideles excludit[89]), sed et fideles quoque, fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, ceterosque omnes, qui letalia committunt peccata, a quibus cum divinae gratiae adiumento abstinere possunt, et pro quibus a Christi gratia separantur.

C. XVI. *De fructu iustificationis, hoc est, de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione.* 46.

Hac igitur ratione iustificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba[90]): *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Non*[91]) *enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Et[92]): *Nolite amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem.* Atque ideo bene operantibus usque in finem[93]), et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promis-

Sess. VI. 82) Psalm. L. 19. — 83) Eph. IV. 30. — 84) 1 Cor. III. 17. — 85) Apoc. II. 5. — 86) 2 Cor. VII. 10. — 87) Matth. III. 2. IV. 17. Luc. III. 8. — 88) Rom. XVI. 18. — 89) 1 Cor. VI. 9. 10. 1 Tim. I. 9. 10. — 90) 1 Cor. XV. 58. — 91) Hebr. VI. 10. — 92) ib. X. 35. — 93) Matth. X. 22.

sione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda[94]). Haec est enim illa corona iustitiae[95]), quam post suum certamen et cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, a iusto iudice sibi reddendam; non solum autem sibi, sed et omnibus, qui diligunt adventum eius. Quum enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites[96]), in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent: nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro huius vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint[97]), con-
47. sequendam, vere promeruisse censeantur; quum Christus, salvator noster, dicat[98]): *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Ita neque propria nostra iustitia[99]) tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur aut repudiatur iustitia Dei; quae enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhaerentem iustificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est, quod, licet bonis operibus in sacris literis usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquae frigidae dederit[100]), promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum, et Apostolus testetur[1]), id, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari in nobis: absit tamen, ut Christianus homo in se ipso vel confidat vel glorietur[2]), et non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita[3]), quae sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes[4]), unusquisque sicut misericordiam et bonitatem, ita severitatem et iudicium ante oculos habere debet, neque se ipsum aliquis, etiam si nihil sibi conscius fuerit[5]), iudicare; quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda et iudicanda est, sed Dei, *qui illuminabit abscondita tenebrarum*[6]), *et manifestabit consilia cordium:* et tunc laus erit unicuique a Deo, qui, ut scriptum est[7]), *reddet unicuique secundum opera sua.*

Post hanc catholicam de iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, iustificari non poterit, placuit sanctae synodo hos canones subiungere, ut omnes sciant, non solum quid tenere et sequi, sed etiam quid vitare et fugere debeant.

Sess. VI. 94) Rom. V. 21. — 95) 2 Tim. IV. 8. — 96) Ioan. XV. 1. seq. — 97) Apoc. XIV. 13. — 98) Ioan. IV. 13. 14. — 99) Rom. X. 3. — 100) Matth. X. 42. Marc. IX. 40. — 1) 2 Cor. IV. 17. — 2) 1 Cor. I. 31. 2 Cor. X. 17. — 3) ex ep. Coelestini I. ad episc. Gall. c. 12. — 4) Iac. III. 2. — 5) 1 Cor. IV. 3. 4. — 6) ib. IV. 5. — 7) Matth. XVI. 27.

DE IUSTIFICATIONE.

48. CANON I. Si quis dixerit, hominem suis operibus[8]), quae vel per humanae naturae [vires] vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo: anathema sit.

CAN. II. Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Iesum dari, ut facilius homo iuste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter possit: anathema sit.

CAN. III. Si quis dixerit[9]), sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione[10]) atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur: anathema sit.

CAN. IV. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere: anathema sit.

CAN. V. Si quis liberum hominis arbitrium post Adae pecca- 49.
tum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in ecclesiam: anathema sit.

CAN. VI. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum sed etiam proprie, et per se, adeo ut sit proprium eius opus non minus proditio Iudae, quam vocatio Pauli: anathema sit.

CAN. VII. Si quis dixerit, opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare: anathema sit.

CAN. VIII. Si quis dixerit, gehennae metum[11]), per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere: anathema sit.

CAN. IX. Si quis dixerit, sola fide impium iustificari[12]), ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi: anathema sit.

CAN. X. Si quis dixerit, homines sine Christi iustitia[13]), per 50.
quam nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse: anathema sit.

Sess. VI. 8) cf. supra c. 1. et 3. — 9) ib. c. 5. — 10) Rom. V. 5. — 11) Matth. X. 28. Luc. XII. 5. — 12) cf. supr. ead. c. 7. 8. — 13) Gal. II. 16. cf. supr. ead. c. 7.

CAN. XI. Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur[14]), atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum favorem Dei: anathema sit.

CAN. XII. Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinae misericordiae[15]), peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur: anathema sit.

CAN. XIII. Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis peccata sibi esse remissa: anathema sit.

CAN. XIV. Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi[16]) ac iustificari ex eo, quod se absolvi ac iustificari certo credat, aut neminem vere esse iustificatum, nisi qui credat se esse iustificatum, et hac sola fide absolutionem et iustificationem perfici: anathema sit.

51. CAN. XV. Si quis dixerit, hominem renatum et iustificatum teneri ex fide ad credendum[17]), se certo esse in numero praedestinatorum: anathema sit.

CAN. XVI. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum[18]) absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit: anathema sit.

CAN. XVII. Si quis iustificationis gratiam non nisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate praedestinatos ad malum: anathema sit.

CAN. XVIII. Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam iustificato[19]) et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia: anathema sit.

CAN. XIX. Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in evangelio praeter fidem; cetera esse indifferentia, neque praecepta, neque prohibita, sed libera; aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos: anathema sit.

CAN. XX. Si quis hominem iustificatum et quantumlibet per-
52. fectum[20]) dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et ecclesiae, sed tantum ad credendum, quasi vero evangelium sit nuda et absoluta promissio vitae aeternae sine conditione observationis mandatorum: anathema sit.

CAN. XXI. Si quis dixerit, Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant: anathema sit.

Sess. VI. 14) Rom. V. 5. — 15) cf. supra ead. c. 9. — 16) cf. cap. cit. — 17) cf. supra c. 12. — 18) cf. ib. c. 13. — 19) cf. ib. c. 11. — 20) cf. cap. cit.

CAN. XXII. Si quis dixerit iustificatum[21]) vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse: anathema sit.

CAN. XXIII. Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse[22]), neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse iustificatum; aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet ecclesia: anathema sit.

CAN. XXIV. Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conservari[23]), atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse iustificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam: anathema sit.

CAN. XXV. Si quis in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit[24]), aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo poenas aeternas mereri; tantumque ob id non damnari, 53.
quia Deus ea opera non imputet ad damnationem: anathema sit.

CAN. XXVI. Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus[25]), quae in Deo fuerint facta, exspectare et sperare aeternam retributionem a Deo per eius misericordiam et Iesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint[26]): anathema sit.

CAN. XXVII. Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum[27]), nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti: anathema sit.

CAN. XXVIII. Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul et fidem semper amitti, aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum: anathema sit.

CAN. XXIX. Si quis dixerit, eum, qui post baptismum lapsus est[28]), non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed sola fide amissam iustitiam recuperare sine sacramento poenitentiae, prout sancta Romana et universalis ecclesia, a Christo Domino et eius Apostolis edocta, hucusque professa est, servavit et docuit: anathema sit.

CAN. XXX. Si quis post acceptam iustificationis gratiam cui-
libet peccatori poenitenti ita culpam remitti et reatum aeternae poe- 54.
nae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae[29]) vel in hoc saeculo, vel in futuro in purgatorio[30]), antequam ad regna coelorum aditus patere possit: anathema sit.

Sess. VI. 21) cf. supra ead. c. 13. — 22) cf. ib. c. 14. — 23) cf. ib. c. 10. — 24) cf. ib. c. 11. extr. — 25) cf. ib. c. 16. — 26) Matth. XXIV. 13. — 27) cf. supra ead. c. 15. — 28) cf. ib. c. 14. — 29) cf. Sess. XIV. de poenit. c. 8. — 30) cf. Sess. XXV. in pr.

CAN. XXXI. Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur[31]): anathema sit.

CAN. XXXII. Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita: aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum: anathema sit.

CAN. XXXIII. Si quis dixerit, per hanc doctrinam catholicam de iustificatione, a sancta synodo hoc praesenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriae Dei vel meritis Iesu Christi Domini nostri derogari, et non potius veritatem fidei nostrae, Dei denique ac Christi Iesu gloriam illustrari: anathema sit.

55. ## DECRETUM DE REFORMATIONE.

C. I. *Praelatos convenit in ecclesiis suis residere; si secus fecerint, iuris antiqui poenae in eos innovantur, et novae decernuntur.*

Eadem sacrosanta synodus, eisdem praesidentibus apostolicae sedis legatis, ad restituendam collapsam admodum ecclesiasticam disciplinam, depravatosque in clero et populo Christiano mores emendandos se accingere volens, ab iis, qui maioribus ecclesiis praesunt, initium censuit esse sumendum; integritas enim praesidentium salus est subditorum[32]). Confidens itaque per Domini ac Dei nostri misericordiam providamque ipsius Dei in terris vicarii solertiam omnino futurum, ut ad ecclesiarum regimen, onus quippe angelicis humeris formidandum, qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis aetas, a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinae stipendia ecclesiasticae laudabiliter acta, testimonium praebeat, secundum venerabiles beatorum Patrum sanctiones[33]) assumantur: omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis et cathedralibus ecclesiis quibuscunque quovis nomine ac titulo praefectos monet ac monitos esse vult, ut attendentes sibi[34]) et universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus praecipit[35]), in omnibus laborent, et ministerium suum impleant. Implere autem illud se nequaquam posse sciant,
56. si greges sibi commissos[36]) mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo iudice requirendus[37]), custodiae minime incumbant, quum certissimum sit, non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, et pastor nescit. Ac nihilominus, quia nonnulli, quod vehementer dolendum est, hoc tempore reperiuntur, qui propriae etiam salutis immemores, terrenaque coelestibus ac divinis humana praeferentes, in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto atque ovium sibi commissarum cura neglecta, se detinent occupatos: placuit sacrosanctae synodo, antiquos canones[38]), qui temporum atque hominum iniuria paene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare, quemadmodum virtute praesentis decreti innovat; ac ulterius, pro firmiori eorundem residentia et reformandis in ecclesia moribus, in hunc, qui sequitur, modum statuere atque sancire. Si quis a patriarchali, primatiali, metropolitana seu cathedrali ecclesia, sibi quocunque titulo, causa, nomine seu iure commissa, quacunque ille dignitate, gradu et praeeminentia praefulgeat, legitimo impedimento seu iustis et rationabilibus causis[39]) cessantibus, sex mensibus[40]) continuis extra suam dioecesim morando abfuerit, quartae partis fructuum unius anni, fabricae ecclesiae, pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum, poenam ipso iure incurrat. Quod si per alios sex[41]) menses in huiusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censurae subiiciatur, metropolitanus suffraganeos episco- 57.
pos absentes, metropolitanum vero absentem suffraganeus episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso incurrenda, infra tres menses per literas seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipsos absentes, prout cuiusque maior aut minor contumacia exegerit, suae supremae sedis auctoritate animadvertere, et ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

C. II. *Nulli beneficium exigens personalem residentiam obtinenti abesse licet, nisi iusta de causa ab episcopo approbanda, qui tum etiam vicarium subducta parte fructuum substituat, ob curam animarum.*

Episcopis inferiores, quaevis beneficia ecclesiastica personalem residentiam de iure sive consuetudine exigentia in titulum sive commendam obtinentes, ab eorum ordinariis, quemadmodum eis pro bono ecclesiarum regimine et divini cultus augmento, locorum et personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis iuris remediis residere cogantur, nullique privilegia seu indulta perpetua de non residendo aut de fructibus in absentia percipiendis,

Sess. VI. 31) cf. supra ead. c. 11. extr. — 32) c. 5. D. LXI. (Leo I.) — 33) cf. ex. gr. 4. D. LIX. (Coelest. I.) c. 2. D. LXI. (Hormisd.) c. 6. ead (conc. Laodic.) — 34) Act. XX. 28. — 35) 2 Tim. IV. 5. — 36) Ioan. X. 12. — 37) Ezech. XXXIII. 6.

Sess. VI. 38) cf. c. 20. C. VII. qu. 1. (Gregor. I.) et seqq.; tot. tit. X. de cler. non res. III. 4. et in VIto III. 3. — 39) cf. infr. Sess. XXIII. de ref. c. 1. — 40) c. 11. X. de cler. non resid. (Innoc. III.) — 41) cf. Sess. XXIII. de ref. c. 1.

suffragentur [42]). Indulgentiis vero et dispensationibus temporalibus, ex veris et rationalibus causis tantum concessis, et coram ordinario legitime probandis, in suo robore permansuris; quibus casibus nihilominus officium sit episcoporum, tanquam in hac parte a sede apostolica delegatorum, providere, ut per deputationem ido-
58. neorum vicariorum [43]), et congruae portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenus negligatur; nemini quoad hoc privilegio seu exemptione quacunque suffragante.

C. III. *Excessus saecularium clericorum et regularium degentium extra monasteria ab ordinario loci corrigantur.*

Ecclesiarum praelati ad corrigendum subditorum excessus prudenter ac diligenter intendant, et nemo saecularis clericus cuiusvis personalis, vel regularis extra monasterium degens, etiam sui ordinis privilegii praetextu tutus censeatur [44]), quo minus, si deliquerit, ab ordinario loci, tanquam super hoc a sede apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi valeat.

C. IV. *Ecclesias quascunque episcopi et alii maiores praelati, quoties opus fuerit, visitent; omnibus, quae huic decreto obstare possent, sublatis.*

Capitula cathedralium [45]) et aliarum maiorum ecclesiarum illorumque personae nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis, concordiis, quae tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minus a suis episcopis et aliis maioribus praelatis per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis, iuxta canonicas sanctiones [46]), toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi et emendari, etiam auctoritate apostolica, possint et valeant.

59. C. V. *Episcopi in aliena dioecesi nec pontificalia exerceant, nec ordines conferant.*

Nulli episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere [47]), nisi de ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem ordinario subiectas tantum. Si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab exsecutione ordinum sint ipso iure suspensi.

Indictio futurae sessionis.

Placetne vobis, proximam futuram sessionem celebrari die Iovis feria quinta post primam dominicam subsequentis Quadragesimae, quae erit dies tertia mensis Martii? Responderunt: *Placet.*

Sess. VI. 42) cf. c. 15. de rescr. in VIto I. 3. (Bonif. VIII.) — 43) c. 34. de elect. in VI. I. 6. (Bonif. VIII.) — 44) cf. Sess. XIV. de ref. c. 4. seq. — 45) cf. Sess. XIV. l. c. Sess. XXV. de ref. c. 6. — 46) cf. Sess. XXV. l. c. — 47) cf. Sess. XIV. de ref. c. 2. 3. 9.

SESSIO SEPTIMA,

CELEBRATA

DIE III. MENSIS MARTII MDXLVII.

DECRETUM DE SACRAMENTIS.

Prooemium.

Ad consummationem salutaris de iustificatione doctrinae, quae in praecedenti proxima sessione uno omnium Patrum consensu promulgata fuit, consentaneum visum est de sanctissimis ecclesiae sacramentis agere, per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel coe- 60.
pta augetur, vel amissa reparatur. Propterea sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, ad errores eliminandos, et exstirpandas haereses, quae circa sanctissima ipsa sacramenta hac nostra tempestate tum de damnatis olim a Patribus nostris haeresibus suscitatae, tum etiam de novo adinventae sunt, quae catholicae ecclesiae puritati et animarum saluti magnopere officiunt, sanctarum scripturarum doctrinae, apostolicis traditionibus atque aliorum conciliorum et Patrum consensui inhaerendo, hos praesentes canones statuendos et decernendos censuit, reliquos, qui supersunt ad coepti operis perfectionem, deinceps divino Spiritu adiuvante editura.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Can. I. Si quis dixerit, sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo [1]) Domino nostro instituta; aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet: baptismum, confirmationem, eucharistiam [2]), poenitentiam, extremam unctionem, ordinem, et matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum: anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, ea ipsa novae legis sacramenta a sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia ceremoniae sunt aliae, et alii ritus externi: anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit, haec septem sacramenta ita esse 61.
inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius: anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam iustificationis adipisci [3]), licet omnia singulis necessaria non sint: anathema sit.

Sess. VII. 1) conc. Flor. in decr. Eugen. IV. ad Armenos. — 2) c. 9. X. de haeret. V. 7. (Luc. III.) — 3) cf. supra Sess. VI. de iustif. c. 7. et can. 9.

CAN. V. Si quis dixerit, haec sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse: anathema sit.

CAN. VI. Si quis dixerit, sacramenta novae legis non continere gratiam[4]), quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel iustitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus: anathema sit.

CAN. VII. Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus: anathema sit.

CAN. VIII. Si quis dixerit, per ipsa novae legis sacramenta
62. ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere: anathema sit.

CAN. IX. Si quis dixerit, in tribus sacramentis[5]), baptismo scilicet, confirmatione, et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt: anthema sit.

CAN. X. Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo[6]) et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem: anathema sit.

CAN. XI. Si quis dixerit, in ministris[7]), dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit ecclesia: anathema sit.

CAN. XII. Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali exsistentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum: anathema sit.

CAN. XIII. Si quis dixerit, receptos et approbatos ecclesiae catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhi-
63. beri consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse: anathema sit.

DE BAPTISMO.

CAN. I. Si quis dixerit, baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi[8]): anathema sit.

CAN. II. Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi[9]), atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi[10]): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, ad metaphoram aliquam detorserit: anathema sit.

Sess. VII. 4) conc. Flor. in decr. Eugen. IV. ad Armenos. — 5) cf. infr. Sess. XXIII. can. 4. ex cit. decr. ad Armen. — 6) cf. Sess. XIV. de poen. c. 6. de sacr. unct. c. 3. — 7) conc. Flor. in decr. Eugen. — 8) cf. c. 39. D. IV. de cons. (Aug.) c. 149. ib. (Aug.) — 9) cf. c. 5. X. de bapt. III. 45. (Innoc. III.) — 10) Ioan. III. 5.

CAN. III. Si quis dixerit, in ecclesia Romana, quae omnium ecclesiarum mater est[11]) et magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam: anathema sit.

CAN. IV. Si quis dixerit, baptismum[12]), qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit ecclesia, non esse verum baptismum: anathema sit.

CAN. V. Si quis dixerit, baptismum liberum esse[13]), hoc est, non necessarium ad salutem: anathema sit.

CAN. VI. Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiam si ve- 64.
lit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere: anathema sit.

CAN. VII. Si quis dixerit, baptizatos per baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae: anathema sit.

CAN. VIII. Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint: anathema sit.

CAN. IX. Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quae post baptismum fiunt, vi promissionis in baptismo ipso iam factae irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi baptismo: anathema sit.

CAN. X. Si quis dixerit, peccata omnia, quae post baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti baptismi vel dimitti, vel venialia fieri: anathema sit.

CAN. XI. Si quis dixerit, verum et rite collatum baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, quum ad poenitentiam convertitur: anathema sit.

CAN. XII. Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi 65.
ea aetate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo: anathema sit.

CAN. XIII. Si quis dixerit, parvulos[14]) eo, quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, quum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide ecclesiae: anathema sit.

CAN. XIV. Si quis dixerit, huiusmodi parvulos baptizatos, quum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et, ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia

---

Sess. VII. 11) cf. c. 9. X. de haer. V. 7. (Luc. III.) — 12) cf. c. 97. seq. C. I. qu. 1. (Aug.) — 13) Ioan. III. 5. — c. 142. D. IV. de cons. (Aug.) — 14) cf. 139. D. IV. de cons. (Aug.)

interim poena ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab eucharistiae aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant: anathema sit.

DE CONFIRMATIONE.

CAN. I. Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse[15]), et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram ecclesia exponebant: anathema sit.

65. CAN. II. Si quis dixerit, iniurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt: anathema sit.

CAN. III. Si quis dixerit, sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum[16]), sed quemvis simplicem sacerdotem: anathema sit.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem sacrosancta synodus, eisdem praesidentibus et legatis, inceptum residentiae et reformationis negotium[17]) ad Dei laudem et Christianae religionis incrementum prosequi intendens, ut sequitur, statuendum censuit, salva semper in omnibus sedis apostolicae auctoritate.

C. I. *Qui's capax regiminis ecclesiarum cathedralium.*

Ad cathedralium ecclesiarum regimen nullus[18]), nisi ex legitimo matrimonio natus, et aetate matura, gravitate morum literarumque scientia, iuxta constitutionem Alexandri tertii[19]), quae incipit: *Quum in cunctis*, in concilio Lateranensi promulgatam, praeditus assumatur.

67. C. II. *Tenentes plures cathedrales ecclesias iubentur omnes excepta una dimittere certo modo et tempore.*

Nemo, quacunque etiam dignitate, gradu aut praeeminentia praefulgens, plures metropolitanas seu cathedrales ecclesias in titulum, sive commendam, aut alio quovis nomine contra sacrorum canonum instituta[20]) recipere et simul retinere praesumat, quum valde felix sit ille censendus, cui unam ecclesiam bene ac fructuose et cum

---

Sess. VII. 15) cf. c. 125. ead. (conc. Araus.) — 16) cf. infr. Sess. XXIII. de ord. c. 4. — 17) cf. supra. Sess. VI. de ref. c. 2. — 18) cf. infr. Sess. XXII. de ref. c. 2. — 19) c. 7. X. de elect. I. 6. et infr. inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 20) c. 2. D. LXX. (conc. Plac.) c. 3. C. X. qu. 3. (conc. Tol. XVI.) c. 1. C. XXI. qu. 1. (conc. Nic. II.) ead. c. 2. (conc. Chalced.) c. 7. X. de elect. I. 6. (Innoc. III.) c. 5. et 13. X. de praeb. III. 5. (Alex. III.) c. 28. ib. (Innoc. III.) c. 32. de praeb. in VIto III. 4. (Bonif. VIII.)

animarum sibi commissarum salute regere contigerit. Qui autem plures ecclesias contra praesentis decreti tenorem nunc detinent, una, quam maluerint, retenta, reliquas infra sex menses, si ad liberam sedis apostolicae dispositionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur; alioquin ecclesiae ipsae, ultimo obtenta duntaxat excepta, eo ipso vacare censeantur.

C. III. *Habilibus duntaxat personis beneficia conferantur.*

Inferiora beneficia ecclesiastica, praesertim curam animarum habentia, personis dignis et habilibus, et quae in loco residere ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant, iuxta constitutionem Alexandri III. in Lateranensi, quae incipit: *Quia nonnulli*[21]), et aliam Gregorii X. in generali Lugdunensi concilio, quae incipit: *Licet canon*[22]), editam conferantur. Aliter autem facta collatio 68.
sive provisio omnino irritetur, et ordinarius collator poenas constitutionis concilii generalis, quae incipit: *Grave nimis*[23]), se noverit incursurum.

C. IV. *Plurium beneficiorum retentor contra canones iis privatur.*

Quicunque de cetero plura curata aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica[24]) sive per viam unionis ad vitam, seu commendae perpetuae, aut alio quocunque nomine et titulo, contra formam sacrorum canonum et praesertim constitutionis Innocentii III., quae incipit: *De multa*[25]), recipere ac simul retinere praesumpserit, beneficiis ipsis iuxta ipsius constitutionis dispositionem ipso iure, etiam praesentis canonis vigore, privatus exsistat.

C. V. *Plura beneficia curata obtinentes ordinario suas dispensationes exhibeant, qui de vicario ecclesiis provideat, congrua portione fructuum assignata.*

Ordinarii locorum quoscunque plura curata aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica obtinentes dispensationes suas exhibere districte compellant, et alias procedant iuxta constitutionem Gregorii X. in generali Lugdunensi concilio editam, quae incipit: *Ordinarii*[26]), quam eadem sancta synodus innovandam censet et in- 69.
novat; addens insuper, quod ipsi ordinarii etiam per idoneorum vicariorum deputationem, et congruae portionis fructuum assignationem omnino provideant, ut animarum cura nullatenus negligatur, et beneficia ipsa debitis obsequiis minime defraudentur; appellationibus, privilegiis et exemptionibus quibuscunque, etiam cum iudi-

---

Sess. VII. 21) c. 3. X. de cler. non res. III. 4. et infr. l. c. — 22) c. 22. de elect. in VIto I. 6. et infr. l. c. — 23) c. 29. X. de praeb. III. 5. (conc. Lat. IV.) et infr. l. c. — 24) cf. infr. Sess. XXIV. de ref. c. 17. — 25) c. 28. X. de praeb. III. 5. et infr. l. c. — 26) c. 3. de off. ord. in VIto I. 14. et infr. l. c. — cf. Sess. VI. de ref. c. 1. extr. et infr. c. 7.

cum specialium deputatione, et illorum inhibitionibus in praemissis nemini suffragantibus.

C. VI. *Quae beneficiorum uniones validae censeantur.*

Uniones perpetuae[27]), a quadraginta annis citra factae, examinari ab ordinariis tanquam a sede apostolica delegatis possint, et quae per subreptionem vel per obreptionem obtentae fuerint, irritae declarentur. Illae vero, quae a dicto tempore citra concessae nondum in toto vel in parte sortitae sunt effectum, et quae deinceps ad cuiusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis aut alias rationabilibus causis, coram loci ordinario, vocatis quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentae praesumantur, ac propterea, nisi aliter a sede apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

C. VII. *Beneficia ecclesiastica unita visitentur; per vicarios etiam perpetuos cura animarum exerceatur; quorum deputatio fiat cum portione assignanda, etiam super re certa.*

Beneficia ecclesiastica curata[28]), quae cathedralibus, collegiatis,
70. seu aliis ecclesiis vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis aut piis locis quibuscunque perpetuo unita et annexa reperiuntur, ab ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite providere procurent[29]), ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiae partis fructuum, aut maiori vel minori, arbitrio ipsorum ordinariorum, portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos animarum cura laudabiliter exerceatur; appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum iudicum deputatione, et illorum inhibitionibus quibuscunque in praemissis minime suffragantibus.

C. VIII. *Ecclesiae reparentur. Cura animarum sollicite habeatur.*

Locorum ordinarii ecclesias quascunque quomodolibet exemptas auctoritate apostolica singulis annis visitare teneantur[30]), et opportunis iuris remediis providere, ut quae reparatione indigent reparentur; et cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur; appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore praescriptis, iudicum deputationibus, et illorum inhibitionibus penitus exclusis.

Sess. VII. 27) cf. Sess. XIV. de ref. c. 9. Sess. XXIV. de ref. c. 13. Sess. XXV. de ref. c. 9. — 28) cf. Sess. XIV. c. 9. — 29) cf. supr. c. 5. et infr. Sess. XXV. de ref. c. 16. — 30) cf. c. 10. C. X. qu. 1. (conc. Tarrac.) c. 11. ead. (conc. Tol. IV.) c. 12. ead. (conc. Brac. II.) — infr. Sess. XXI. de ref. c. 8. Sess. XXIV. de ref. c. 9.

C. IX. *Munus consecrationis non differendum.*

Ad maiores ecclesias promoti munus consecrationis infra tempus a 71.
iure statutum suscipiant[31]), et prorogationes ultra sex menses concessae nulli suffragentur.

C. X. *Sed e vacante capitula nulli dent reverendas, nisi arctata occasione obtinendi aut obtenti beneficii; variae contravenientium poenae.*

Non liceat capitulis ecclesiarum sede vacante infra annum a die vacationis ordinandi licentiam, aut literas dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex iuris communis dispositione[32]), quam etiam cuiusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, capitulum contraveniens ecclesiastico subiaceat interdicto; et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus, gaudeant. In maioribus vero ab exsecutione ordinum ad beneplacitum futuri praelati sint ipso iure suspensi.

C. XI. *Facultates de promovendo sine iusta causa nemini suffragentur.*

Facultates de promovendo a quocunque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis episcopis ordinari non possint, in literis exprimendam; et tunc non ordinentur, nisi
ab episcopo[33]) in sua dioecesi residente, aut pro eo pontificalia ex- 72.
ercente, et diligenti praevio examine.

C. XII. *Facultas de non promovendo annum non excedat.*

Facultates de non promovendo, praeterquam in casibus a iure expressis[34]) concessae, ad annum tantum suffragentur.

C. XIII. *A quocunque praesentati non instituantur sine praevio examine ordinarii et approbatione, certis exceptis.*

Praesentati seu electi vel nominati a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam sedis apostolicae nunciis, ad quaevis ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur[35]), neque admittantur, etiam praetextu cuiusvis privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore praescriptae, nisi fuerint prius a locorum ordinariis examinati et idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quo minus examen subire teneatur. Praesen-

---

Sess. VII. 31) c. 2. D. LXXV. (conc. Chalc.) c. 1. D. C. (conc. Rav.) — 32) c. 3. de temp. ord. in VIto I. 9. (Boinf. VIII.) — cf. infr. Sess. XXIII. de ref. c. 10. — 33) cf. Sess. VI. de ref. c. 5. Sess. XIV. de ref. c. 2. — 34) c. 14. 34. de elect. in VIto I. 6. (Bonif. VIII.) — 35) cf. Sess. XXV. deref. c. 9.

tatis tamen[36]), electis seu nominatis ab universitatibus seu collegiis generalium studiorum exceptis.

73. C. XIV. *Quaenam causae civiles ab episcopis cognosci possint.*

In exemptorum causis constitutio Innocentii IV., quae incipit: *Volentes*[37]), in generali concilio Lugdunensi edita, servetur, quam eadem sacrosancta synodus innovandam censuit et innovat, addendo insuper, quod in civilibus causis mercedum et miserabilium personarum clerici saeculares aut regulares, extra monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiam si certum iudicem a sede apostolica deputatum in partibus habeant; in aliis vero, si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum ordinariis, tanquam in hac ab ipsa sede delegatis, conveniri et iure medio ad solvendum debitum cogi et compelli possint; privilegiis, exemptionibus, conservatorum deputationibus et eorum inhibitionibus adversus praemissa nequaquam valituris.

C. XV. *Ordinarii curent, ut hospitalia quaecunque, etiam exempta, a suis administrantibus fideliter gubernentur.*

Curent ordinarii, ut hospitalia quaecunque a suis administratoribus[38]), quocunque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter et diligenter gubernentur, constitutionis concilii Viennensis, quae incipit: *Quia contingit*[39]), forma servata.
74. Quam quidem constitutionem eadem sancta synodus innovandam duxit et innovat cum derogationibus in ea contentis.

Indictio futurae sessionis.

Item sacrosancta synodus statuit et decrevit, proximam futuram sessionem habendam et celebrandam esse die Iovis, feria quinta post sequentem dominicam in Albis, quae erit vigesima prima mensis Aprilis praesentis anni MDXLVII.

BULLA FACULTATIS
TRANSFERENDI CONCILII.

Paulus Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri, Ioanni Mariae, episcopo Praenestino, et dilectis filiis, Marcello tit. S. Crucis in Ierusalem presbytero, ac Reginaldo S. Mariae in Cosmedin

---

Sess. VII. 36) cf. Sess. XXIV. de ref. c. 18. — 37) c. 1. de privil. in VIto V. 7. et infra inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. cf. Sess. XIV. de ref. c. 6. — 38) cf. Sess. XXV. de ref. c. 8. — 39) Clem. 2. de relig. dom. III. 11. (Clem. V.) et infr. l. c.

diacono cardinalibus, nostris et apostolicae sedis legatis de latere salutem et apostolicam benedictionem.

Regimini universalis ecclesiae, meritis licet imparibus, disponente Domino praesidentes, nostri officii partes esse putamus, ut, si quid gravius causa reipublicae Christianae constituendum sit, id non modo tempore opportuno, verum etiam loco commodo et idoneo perficiatur. Quum itaque nos nuper, postquam suspensionem celebrationis sacri oecumenici et universalis concilii, alias per nos in civitate Tridentina ex causis tunc expressis de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu indicti, ex certis aliis etiam tunc expressis causis usque ad aliud opportunius et commodius tempus per nos declarandum de simili consilio et assensu factam, audita pace inter carissimos in Christo filios nostros, Carolum Rom. imperatorem semper augustum, et Franciscum Francorum regem Christianissimum conciliata, pari consilio et assensu sustuleramus et amoveramus: nequeuntes ipsi, tunc legitime impediti, ad dictam civitatem personaliter accedere, et eidem concilio interesse, vos nostros et apostolicae sedis legatos de latere, in eodem concilio de simili consilio constituerimus et deputaverimus, vosque ad eandem civitatem tanquam pacis angelos destinaverimus, prout in diversis nostris desuper confectis literis plenius continetur: Nos, ne tam sanctum celebrationis concilii huiusmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quovis modo impediatur aut plus debito differatur, opportune providere volentes, motu proprio, et certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, parique consilio et assensu, vobis insimul, aut duobus ex vobis, reliquo legitimo impedimento detento, seu inde forte absente, quandocunque vobis videbitur, concilium praedictum de eadem civitate Tridentina ad quamcunque aliam commodiorem et opportuniorem seu tutiorem civitatem, de qua vobis etiam videbitur, transferendi et mutandi; ac illud in ipsa civitate Tridentina supprimendi et dissolvendi; nec non praelatis et aliis personis concilii huiusmodi, ne in eo ad ulteriora in dicta civitate Tridentina procedant, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis inhibendi; ac idem concilium in alia civitate huiusmodi, ad quam illud transferri et mutari contigerit, continuandi, tenendi et celebrandi, et ad illud praelatos et alias personas concilii Tridentini huiusmodi, etiam sub periurii et aliis in literis indictionis concilii huiusmodi expressis poenis, evocandi; eidemque sic translato et mutato concilio, nomine et auctoritate praedictis praesidendi, ac in eo procedendi ceteraque in praemissis, et circa ea necessaria et opportuna, alias iuxta priorum vobis directarum literarum continentiam et tenorem, faciendi, statuendi, ordinandi et exsequendi, plenam et liberam apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus potestatem et facultatem; ratum et gratum habituri quicquid per vos in praemissis factum, statutum, ordinatum exsecutumve fuerit, idque facturi auctore Domino inviolabiliter observari; non obstantibus constitutionibus et ordinationi- 75.

bus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo
76. omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis dominicae MDXLVII., VIII. Kalend. Mart. Pontificatus nostri anno XI.

FAB. EPISCOPUS SPOL.

B. MOTTA.

SESSIO OCTAVA,

CELEBRATA

DIE XI. MENSIS MARTII MDXLVII.

DECRETUM DE TRANSLATIONE CONCILII.

Placetne vobis decernere et declarare, de huiusmodi morbo ex praemissis et aliis allegatis ita manifeste et notorie constare, ut praelati in hac civitate sine vitae discrimine commorari, et in ea idcirco inviti minime retineri possint et debeant? itemque attento recessu multorum praelatorum post proxime praeteritam sessionem, et attentis protestationibus aliorum complurium praelatorum in congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipsius morbi abire volentium, qui iuste detineri non possunt, et ex quorum discessu concilium vel dissolveretur, vel ex paucitate praelatorum bonus eius progressus impediretur, et attento etiam imminenti periculo vitae, et aliis causis per aliquos ex patribus in ipsis congregationibus allegatis, utpote notorie veris et legitimis; placetne vobis similiter decernere et declarare, pro conservatione et prosecutione ipsius concilii, securitate vitae ipsorum praelatorum, concilium ipsum ad civitatem Bononiae, veluti ad locum magis paratum, salubrem et idoneum, pro tempore transferendum esse, et ex nunc transferri, et ibidem sessionem iam indictam statuta die
77. vigesima prima Aprilis celebrandam esse et celebrari; et successive ad ulteriora procedendum, donec sanctissimo Domino nostro et sacro concilio expedire videbitur, ut ad hunc seu alium locum, communicato etiam consilio cum invictissimo caesare, Christianissimo rege, et aliis regibus ac principibus Christianis, ipsum concilium reduci possit et debeat? Responderunt: *Placet.*

SESSIO NONA,

BONONIAE CELEBRATA

DIE XXI. MENSIS APRILIS MDXLVII.

DECRETUM PROROGATIONIS SESSIONIS.

Haec sacrosancta oecumenica et generalis synodus, quae dudum in civitate Tridentina congregata erat, nunc Bononiae in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea nomine sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Pauli divina providentia Papae III., eisdem reverendissimis dominis D. Ioanne Maria episcopo Praenestino de Monte, et Marcello tit. S. Crucis in Ierusalem presbytero, S. R. E. cardinalibus et apostolicis de latere legatis, considerans, quod die undecima mensis Martii praesentis anni, in generali publica sessione, in eadem civitate Tridenti, et in loco consueto celebrata, omnibusque agendis de more peractis, ex causis tunc instantibus, urgentibus et legitimis, interveniente etiam auctoritate sanctae sedis apostolicae, eisdem reverendissimis praesidentibus etiam specialiter concessa, decrevit et ordinavit, concilium ex eo loco in hanc civitatem transferendum esse, sicuti transtulit, itemque sessionem pro praesenti die vigesima prima Aprilis illic indictam, ut de sacramentorum et reformationis materiis, de quibus tractandum proposuerat, canones sancirentur et promulgarentur, in hac ipsa civitate Bononiae celebrari debere; consideransque, 78.
nonnullos ex patribus, qui in hoc concilio interesse consueverunt, his superioribus maioris hebdomadae et solemnitatis paschalis diebus, in propriis ecclesiis occupatos, aliquos etiam aliis impedimentis detentos, huc nondum accessisse, quos tamen brevi adfuturos sperandum est, ac propterea factum esse, ut non ea, quam sancta synodus desiderabat, praelatorum frequentia potuerint materiae ipsae sacramentorum et reformationis examinari et discuti: ut omnia maturo consilio, cum dignitate et gravitate debita fiant, bonum, opportunum et expediens censuit censetque, sessionem praedictam, quae hoc ipso die, ut praefertur, celebranda erat, ad diem Iovis infra octavam pentecostes proxime futuram quoad ipsas materias expediendas differendam et prorogandam esse, quemadmodum differt ac prorogat; quam diem et rei gerendae maxime opportunam, et Patribus praesertim absentibus percommodam iudicavit et iudicat: hoc tamen adiecto, quod terminum ipsum ipsa sancta synodus, pro eius arbitrio et voluntate, sicuti rebus concilii putaverit expedire, etiam in privata congregatione restringere et imminuere possit et valeat.

SESSIO DECIMA,

BONONIAE CELEBRATA

DIE II. MENSIS IUNII MDXLVII.

DECRETUM PROROGATIONIS SESSIONIS.

Quamvis haec sacrosancta oecumenica et generalis synodus sessionem, quae die vigesima prima mensis Aprilis proxime praeteriti super sacramentorum et reformationis materiis in hac inclyta civitate Bononiae, ex decreto in urbe Tridentina, in publica sessione die undecima mensis Martii promulgato, celebranda erat, propter aliquas causas, ac praesertim propter absentiam nonnullorum Patrum, quos
79. brevi adfuturos sperabat, ad hunc praesentem diem differendam et prorogandam esse decreverit: volens tamen cum iis, qui non venerunt, etiam adhuc benigne agere, eadem sacrosancta synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus et apostolicae sedis legatis, statuit et decernit, sessionem ipsam, quam hac die secunda mensis Iunii praesentis anni millesimi quingentesimi quadragesimi septimi, celebrare decreverat, ad diem Iovis post festum Nativitatis beatae Mariae Virginis, quae erit decima quinta mensis Septembris proxime futuri, quoad praedictas et alias materias expediendas, differendam et prorogandam esse, quemadmodum differt et prorogat; ita tamen, quod prosecutio discussionis et examinationis tam eorum, quae ad dogmata, quam ad reformationem pertinent, interim non omittatur, et terminum ipsum ipsa sancta synodus pro eius libito et voluntate etiam in privata congregatione abbreviare et prorogare libere possit et valeat.

Die XIV. Septembris MDXLVII. in congregatione generali Bononiae prorogata fuit sessio, quae futura erat die sequenti, ad beneplacitum sacri concilii.

BULLA RESUMPTIONIS

CONCILII TRIDENTINI,

SUB IULIO III., PONT. MAX.

Iulius Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Quum ad tollenda religionis nostrae dissidia, quae in Germania longo tempore non sine totius Christiani orbis perturbatione

et scandalo viguerunt, bonum, opportunum et expediens esse videatur, sicuti etiam carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum imperator semper augustus nobis per suas literas et 80.
nuncios significari fecit, ut sacrum oecumenicum generale concilium per fel. rec. Paulum Papam III. praedecessorem nostrum indictum, et per nos, tunc cardinalatus honore fungentes, atque ipsius praedecessoris nomine, una cum duobus aliis sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus ipsi concilio praesidentes, inceptum, ordinatum et continuatum, in quo plures publicae et solennes habitae fuerunt sessiones, pluraque tam in causa fidei quam reformationis promulgata decreta, multaque etiam ad utramque causam pertinentia examinata et discussa, ad civitatem Tridentinam reducatur? Nos, ad quos, ut summos pro tempore Pontifices, spectat generalia concilia indicere et dirigere, ut ecclesiae pacem et Christianae fidei atque orthodoxae religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudem et gloriam procuremus, et, quantum in nobis est, tranquillitati ipsius Germaniae, quae sane provincia retroactis temporibus in vera religione, ac sacrorum conciliorum et sanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendaque maximis Pontificibus Christi Redemptoris nostri in terra vicariis, debita obedientia et reverentia nulli Christianorum provinciae fuit unquam secunda, paterne consulamus; sperantes per ipsius Dei gratiam et benignitatem futurum, ut reges omnes ac principes Christiani iustis piisque nostris hac in re votis annuant, faveant atque assistant: venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et dilectos filios abbates, omnesque alios et singulos, qui de iure, vel consuetudine, vel privilegio conciliis generalibus interesse debent, quosque idem praedecessor noster in suis indictionis et aliis quibuscunque desuper confectis et publicatis literis concilio interesse voluit, per viscera misericordiae domini nostri Iesu Christi hortamur, requirimus et monemus, ut 81.
proximis futuris Kal. Maii, quem diem ad ipsum concilium in eo, in quo nunc reperitur, statu resumendum et prosequendum, praevia matura deliberatione et ex certa nostra scientia, et de apostolicae auctoritatis plenitudine, ac venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium consilio et assensu, statuimus, et declaramus in ipsa civitate Tridenti, legitimo cessante impedimento, convenire, et se congregare, ac ipsius concilii continuationi et prosecutioni omni mora postposita incumbere velint. Nos enim operam sedulo daturi sumus, ut eodem tempore in eadem civitate nostri omnino adsint legati, per quos, si per aetatem nostram valetudinemque et sedis apostolicae necessitates personaliter adesse nequiverimus, Spiritu sancto duce, ipsi concilio praesidebimus; quacunque ipsius concilii translatione et suspensione ceterisque contrariis non obstantibus quibuscunque, ac praesertim illis, quae idem praedecessor noster in suis literis praedictis, quas cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis in suo robore permanere volumus atque decernimus, et, quatenus opus

sit, innovamus, voluit non obstare; irritum nihilominus decernentes et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum hortationis, requisitionis, monitionis, statuti, declarationis, innovationis, voluntatis et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis dominicae MDL., XVIII. Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno I.

M. CARDINALIS CRESCEN.

ROM. AMASAEUS.

SESSIO XI.

82. # CONCILII TRIDENTINI,

QUAE EST PRIMA

SUB IULIO III., PONT. MAX.

CELEBRATA KALENDIS MAII MDLI.

DECRETUM DE RESUMENDO CONCILIO.

Placetne vobis, ad laudem et gloriam sanctae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus sancti, ad incrementum et exaltationem fidei, et religionis Christianae, sacrum oecumenicum et generale concilium Tridentinum, iuxta formam et tenorem literarum sanctissimi domini nostri, resumi debere, et procedendum esse ad ulteriora? Responderunt: *Placet.*

Indictio futurae sessionis.

Placetne vobis, proximam futuram sessionem habendam et celebrandam esse in futuris Kalend. Septembris? Responderunt: *Placet.*

SESSIO XII. 83.

QUAE EST SECUNDA

SUB IULIO III., PONTIFICE MAXIMO,

CELEBRATA

DIE PRIMA SEPTEMBRIS MDLI.

DECRETUM PROROGATIONIS SESSIONIS.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis, quae in proxime praeterita sessione sequentem hanc hodie habendam et ad ulteriora procedendum esse decreverat, quum ob inclytae germanicae nationis, cuius praecipue causa agitur, absentiam, ac non magnam ceterorum Patrum frequentiam procedere hactenus distulerit, de venerabilium in Christo fratrum et filiorum suorum, Moguntini et Trevirensis archiepiscoporum, ac sacri Romani imperii principum electorum, et complurium ipsius aliarumque provinciarum episcoporum sub hanc ipsam diem adventu in Domino exsultans, et dignas ipsi omnipotenti Deo agens gratias, firmamque spem concipiens, quamplurimos alios tam ipsius Germaniae quam aliarum nationum praelatos, et sui officii debito, et hoc exemplo commotos, propediem esse venturos, futuram sessionem ad quadragesimam diem, quae erit undecima mensis Octobris proxime sequentis, indicit, et concilium ipsum in statu, in quo reperitur, prosequendo, quum in praeteritis sessionibus de septem sacramentis novae legis in genere, et in specie de baptismate et confirmatione definitum fuerit, statuit et decernit, de sanctissimae eucharistiae sacramento, necnon, quod ad reformationem attinet, de reliquis, quae ad faciliorem et commodiorem praelatorum residentiam pertinent, agi et tractari debere; ac monet et hortatur omnes Patres, ut interim, Domini nostri Iesu Christi exemplo, quantum tamen humana fragilitas patietur, ieiuniis et orationibus vacent, ut tandem placatus, qui in saecula sit benedictus, Deus corda hominum ad verae suae fidei agnitionem, et sanctae matris ecclesiae unitatem, ac recte vivendi normam reducere dignetur.

84.

SESSIO XIII.
QUAE EST TERTIA
SUB IULIO III., PONTIFICE MAXIMO, CELEBRATA
DIE XI. OCTOBRIS MDLI.

DECRETUM DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis, etsi in eum finem non absque peculiari Spiritus sancti ductu et gubernatione convenerit, ut veram et antiquam de fide et sacramentis doctrinam exponeret, et ut haeresibus omnibus, et aliis gravissimis incommodis, quibus Dei ecclesia misere nunc exagitatur, et in multas ac varias partes scinditur, remedium afferret, hoc praesertim iam inde a principio in votis habuit, ut stirpitus convelleret zizania[1]) exsecrabilium errorum et schismatum, quae inimicus homo his nostris calamitosis temporibus in doctrina fidei, usu et cultu sacrosanctae eucharistiae superseminavit, quam alioqui Salvator noster in ecclesia sua tanquam symbolum reliquit eius unitatis et caritatis, qua Christianos omnes inter se coniunctos et copulatos esse voluit. Itaque eadem sacrosancta synodus, sanam et sinceram illam de venerabili hoc et divino eucharistiae sacramento doctrinam tradens, quam semper catholica ecclesia, ab ipso Iesu Christo Domino nostro et eius Apostolis erudita, atque a Spiritu sancto illi omnem veritatem in dies suggerente[2]) edocta, retinuit, et ad finem usque saeculi conservabit,
85. omnibus Christi fidelibus interdicit, ne posthac de sanctissima eucharistia aliter credere, docere aut praedicare audeant, quam ut est hoc praesenti decreto explicatum atque definitum.

C. I. *De reali praesentia Domini nostri Iesu Christi in sanctissimo eucharistiae sacramento.*

Principio docet sancta synodus, et aperte ac simpliciter profitetur, in almo sanctae eucharistiae sacramento post panis et vini consecrationem Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum atque hominem vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Neque enim haec inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in coelis assideat[3]) iuxta

Sess. XIII. 1) Matth. XIII. 30. — 2) Luc. XII. 12. Ioan. XIV. 26. XVI. 13. — 3) cf. Sess. III. in symb.

modum exsistendi naturalem, et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter praesens sua substantia nobis adsit, ea exsistendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo[4]), cogitatione per fidem illustrata assequi possumus et constantissime credere debemus. Ita enim maiores nostri omnes, quotquot in vera Christi ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum in ultima coena Redemptorem nostrum instituisse, quum post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis praebere ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est[5]); quae verba a sanctis Evangelistis commemorata[6]), et a divo Paulo postea repetita, quum propriam illam et apertissimam significationem prae se ferant, secundum quam a Pa- 86.
tribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum ecclesiae sensum detorqueri, quae, tanquam columna et firmamentum veritatis[7]), haec ab impiis hominibus excogitata commenta velut satanica detestata est, grato semper et memore animo praestantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

C. II. *De ratione institutionis sanctissimi huius sacramenti.*

Ergo Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum[8]), et in illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit[9]) suamque annunciare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit sacramentum hoc[10]) tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me*[11]), *et ipse vivet propter me*, et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput exsistit[12]), cuique nos, tanquam membra, arctissima fidei, spei et caritatis connexione adstrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata[13]).

C. III. *De excellentia sanctissimae eucharistiae super reliqua sacramenta.* 87.

Commune hoc quidem est sanctissimae eucharistiae cum ceteris sacramentis, symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam

Sess. XIII. 4) Matth. XIX. 26. Luc. XVIII. 27. — 5) Matth. XXVI. 26 — 28. Marc. XIV. 22 — 24. Luc. XXII. 19. seq. — 6) 1 Cor. XI. 24. seq. — 7) 1 Tim. III. 15. — 8) Psalm. CX. 4. — 9) Luc. XXII. 19. 1 Cor. XI. 24 — 26. — 10) Matth. XXVI. 26. seq. — 11) Ioan. VI. 58. — 12) 1 Cor XI. 3. Eph. V. 23. — 13) 1 Cor. I. 10.

visibilem[14]); verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, quum quis illis utitur: at in eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant[15]), quum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod praebebat; et semper haec fides in ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus[16]), verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate exsistere; sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie, ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus[17]), inter se copulantur[18]), divinitatem porro, propter admirabilem illam eius cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie[19]) atque sub utraque contineri. Totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie et sub eius partibus exsistit.

88. C. IV. *De transsubstantiatione.*

Quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat[20]), vere esse dixit, ideo persuasum semper in ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri[21]), et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius. Quae conversio convenienter et proprie a sancta catholica ecclesia transsubstantiatio est appellata.

C. V. *De cultu et veneratione huic sanctissimo sacramento exhibenda.*

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in catholica ecclesia semper recepto latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant[22]). Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum[23]). Nam illum eundem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit[24]): *Et adorent eum omnes an-*

Sess. XIII. 14) c. 32. D. II. de cons. (Aug.) — 15) Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. — 16) cf. infr. ead. can. 1. — 17) Rom. VI. 9. — 18) cf. c. 58. (Aug.) 71. (Paschas.) 78. (missal. Ambros.) D. II. de cons. — 19) c. 35. D. II. de cons. (Euseb. sive Eucher.) — cf. infr. can. 3. Sess. XXI. de comm. c. 3. — 20) Luc. XXII. 19. Ioan. VI. 48. seqq. 1 Cor. XI. 24. — 21) c. 55. D. II. de cons. (Ambros.) — cf. infr. can. 2. — 22) cf. infr. can. 6. — 23) Matth. XXVI. 26. — 24) Hebr. I. 6.

geli Dei; quem magi procidentes adoraverunt[25]); quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse[26]), scriptura testatur.

Declarat praeterea sancta synodus, pie et religiose admodum 89. in Dei ecclesiam inductum fuisse hunc morem[27]), ut singulis annis peculiari quodam et festo die praecelsum hoc et venerabile sacramentum singulari veneratione ac solennitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur[28]). Aequissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, quum Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis eius victoria et triumphus repraesentatur. Ac sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et haeresi triumphum agere, ut eius adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universae ecclesiae laetitia positi vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant.

C. VI. *De asservando sacrae eucharistiae sacramento, et ad infirmos deferendo.*

Consuetudo asservandi in sacrario sanctam eucharistiam adeo antiqua est[29]), ut eam saeculum etiam Nicaeni concilii agnoverit[30]). Porro deferri ipsam sacram eucharistiam ad infirmos, et in hunc usum diligenter in ecclesiis conservari, praeterquam quod cum summa aequitate et ratione coniunctum est, tum multis in conciliis praeceptum invenitur[31]), et vetustissimo catholicae ecclesiae more est observatum. Quare sancta haec synodus retinendum omnino 90. salutarem hunc et necessarium morem statuit.

C. VII. *De praeparatione, quae adhibenda est, ut digne quis sacram eucharistiam percipiat.*

Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas coelestis huius sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim quum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus[32]): *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.* Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius praeceptum[33]): *Probet autem se ipsum homo*, ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam

Sess. XIII. 25) Matth. II. 11. — 26) Matth. XXVIII. 17. Luc. XXIV 52. — 27) cf. ep. Urbani IV. relatam in Clem. 1. de relig. dom. III. 16. — 28) cf. infra can. 6. — 29) c. 93. D. II. de cons. (Cap. Franc.) c. 10. X. de celebr. miss. III. 41. (Honor. III.) — cf. infr. can. 7. — 30) conc. Nic. I. c. 13. (c. 6. C. XXVI. qu. 6.) — 31) cf. e. gr. conc. Ancyr. c. 5. Agath. c. 15. (D. L. c. 63.) Lat. IV. c. 20. — 32) 1 Cor. XI. 29. — 33) 1 Cor. ib. 28.

probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur[34]), absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quod si necessitate urgente sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur.

91. C. VIII. *De usu admirabilis huius sacramenti.*

Quoad usum autem recte et sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores: alios tantum spiritualiter; illos nimirum, qui voto propositum illum coelestem panem edentes, fide viva, quae per dilectionem operatur[35]), fructum eius et utilitatem sentiunt; tertios porro sacramentaliter simul et spiritualiter[36]); hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant[37]). In sacramentali autem sumptione semper in ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent; sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent[38]), qui mos, tanquam ex traditione apostolica descendens[39]), iure ac merito retineri debet. Demum autem paterno affectu admonet sancta synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiae symbolo iam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantae maiestatis et tam eximii amoris Iesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium[40]), et carnem suam nobis dedit ad manducandum, haec sacra mysteria corporis et sanguinis eius ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum super-
92. substantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animae vita, et perpetua sanitas mentis, cuius vigore confortati ex huius miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant, eundem panem angelorum[41]), quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.

Quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi detegantur et refellantur errores: placuit sanctae synodo hos canones subiungere, ut omnes, iam agnita catholica doctrina, intelligant quoque, quae ab illis haereses caveri vitarique debeant.

Sess. XII. 34) cf. infr. c. 11. — 35) Gal. V. 6. — 36) cf. infr. c. 8. — 37) Matth. XXII. 11. — 38) cf. 11. D. II. de cons. (conc. Tol. XII.) — cf. infr. c. 10. — 39) Hebr. VII. 27. — 40) Ioan. VI. 56. seq. — 41) Psalm. LXXVII. 25.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

Can. I. Si quis negaverit[42]), in sanctissimae eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute: anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica ecclesia aptis- 93.
sime transsubstantiationem appellat[43]): anathema sit.

Can. III. Si quis negaverit, in venerabili sacramento eucharistiae sub unaquaque specie[44]), et sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri: anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, peracta consecratione[45]) in admirabili eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini: anathema sit.

Can. V. Si quis dixerit, vel praecipuum fructum sanctissimae eucharistiae esse remissionem peccatorum[46]), vel ex ea non alios effectus provenire: anathema sit.

Can. VI. Si quis dixerit, in sancto eucharistiae sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae[47]), etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem et universalem ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem solenniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et eius adoratores esse idololatras: anathema sit.

Can. VII. Si quis dixerit, non licere sacram eucharistiam in 94.
sacrario reservari[48]), sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur: anathema sit.

Can. VIII. Si quis dixerit, Christum in eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter ac realiter[49]): anathema sit.

Sess. XIII. 42) cf. supr. c. 3. — 43) ib. c. 4. — 44) ib. c. 3. c. infr. Sess. XXI. de comm. c. 1. — 45) cf. supr. c. 3. — 46) ib. c. 2. — 47) ib. c. 5. — 48) ib. c. 6. — 49) ib. c. 8.

Can. IX. Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus[50]), quum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum, iuxta praeceptum sanctae matris ecclesiae: anathema sit.

Can. X. Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti se ipsum communicare[51]): anathema sit.

Can. XI. Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimae eucharistiae sacramentum[52]): anathema sit. Et, ne tantum sacramentum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment; habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel perti-
95. naciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus exsistat.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

C. I. *Episcopi prudenter moribus subditorum reformandis invigilent; ab eorum correctione non appelletur.*

Eadem sacrosancta Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis, intendens nonnulla statuere, quae ad iurisdictionem pertinent episcoporum, ut iuxta proximae sessionis decretum[53]) illi in commissis sibi ecclesiis eo libentius resideant, quo facilius et commodius sibi subiectos regere, et in vitae ac morum honestate continere potuerint: illud primum eos admonendos censet, ut se pastores[54]), non percussores esse meminerint, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur; sed illos tanquam filios et fratres diligant, elaborentque, ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur. Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio[55]), ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, quum[56]) saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine
96. rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur, ei qui correcti fuerint emendentur, aut, si resipiscere noluerint, ceteri salubri in eos animadversionis exemplo a vi-

Sess. XIII. 50) cf. Sess. XIV. depoen. can. 8. — 51) cf. supr. c. 8. — 52) ib. c. 7. — 53) Sess. XII. extr. — 54) 1 Petr. V. 2. seq. — 55) 2 Tim. IV. 2. — 56) verba Leonis III. in c. 6. D. XLV.

tiis deterreantur, quum sit diligentis et pii simul pastoris officium, morbis ovium levia primum adhibere fomenta; post, ubi morbi gravitas ita postulet, ad acriora et graviora remedia descendere; sin autem nec ea quidem proficiant illis submovendis, ceteras saltem oves a contagionis periculo liberare[57]). Quum igitur rei criminum plerumque ad evitandas poenas et episcoporum subterfugienda iudicia querelas et gravamina simulent, et appellationis diffugio iudicis processum impediant, ne remedio ad innocentiae praesidium instituto[58]) ad iniquitatis defensionem abutantur, atque ut huiusmodi eorum calliditati et tergiversationi occurratur, ita statuit et decrevit: In causis visitationis, et correctionis, sive habilitatis et inhabilitatis, nec non criminalibus, ab episcopo, seu illius in spiritualibus vicario generali, ante definitivam sententiam ab interlocutoria vel alio quocunque gravamine non appelletur, neque episcopus seu vicarius appellationi huiusmodi tanquam frivolae deferre teneatur, sed ea, ac quacunque inhibitione ab appellationis iudice emanata, nec non omni stylo et consuetudine, etiam immemorabili, contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere, nisi gravamen huiusmodi per definitivam sententiam reparari[59]) vel ab ipsa definitiva appellari non possit, quibus casibus sacrorum et antiquorum canonum statuta illibata persistant.

C. II. *In criminalibus appellatio ab episcopo quando metropolitano, aut uni ex vicinioribus committenda sit.* 97.

A sententia episcopi, vel ipsius in spiritualibus vicarii generalis, in criminalibus appellationis causa, ubi appellationi locus fuerit, si apostolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, metropolitano, seu illius etiam vicario in spiritualibus generali; aut, si ille aliqua de causa suspectus foret, vel ultra duas legales diaetas distet[60]), seu ab ipso appellatum fuerit, uni ex vicinioribus episcopis, seu illorum vicariis, non autem inferioribus iudicibus, committatur.

C. III. *Acta primae instantiae intra triginta dies dentur gratis reo appellanti.*

Reus, ab episcopo aut eius vicario in spiritualibus generali in criminali causa appellans, coram iudice, ad quem appellavit, acta primae instantiae omnino producat, et iudex, nisi illis visis, ad eius absolutionem minime procedat. Is autem, a quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat; alioqui absque illis causa appellationis huiusmodi, prout iustitia suaserit, terminetur.

Sess. XIII. 57) sec. Hieron. in c. 16. C. XXIV. qu. 3. et Aug. in c. 17. ib. — 58) cf. c. 3. X. de appell. II. 28. (Alex. III.) — 59) cf. c. 59. X. ib. (Innoc. III.) — 60) cf. c. 11. de rescr. in Vito I. 3. (Bonif. VIII.)

98. C. IV. *Qua ratione clerici ob gravia crimina sacris exauctorandi.*

Quum vero tam gravia nonnunquam sint delicta ab ecclesiasticis commissa personis, ut ob eorum atrocitatem a sacris ordinibus deponendae, et curiae sint tradendae saeculari, in quo secundum sacros canones[61]) certus episcoporum numerus requiritur, quos si omnes adhibere difficile esset, debita iuris exsecutio differretur, si quando autem intervenire possent, eorum residentia intermitteretur: propterea statuit et decrevit: Episcopo per se, seu illius vicario in spiritualibus generali, contra clericum, in sacris etiam presbyteratus ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem, et per se ipsum etiam ad actualem atque solennem degradationem ab ipsis ordinibus et gradibus ecclesiasticis, in casibus, in quibus aliorum episcoporum praesentia in numero a canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere liceat; adhibitis tamen et in hoc sibi adsistentibus totidem abbatibus, usum mitrae et baculi ex privilegio apostolico habentibus, si in civitate aut dioecesi reperiri, et commode interesse possint; alioquin aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quae aetate graves ac iuris scientia commendabiles exsistant.

C. V. *Summarie cognoscat episcopus de gratiis aut absolutionem criminis aut remissionem poenae respicientibus.*

99. Et quoniam per fictas causas, quae tamen satis probabiles videntur, interdum accidit, ut nonnulli eiusmodi gratias extorqueant, per quas poenae illis episcoporum iusta severitate inflictae aut remittuntur omnino, aut minuuntur, quum non ferendum sit, ut mendacium, quod tantopere Deo displicet[62]), non modo ipsum impunitum sit, verum etiam alterius delicti veniam impetret mentienti: idcirco, ut sequitur, statuit et decrevit: Episcopus, apud ecclesiam suam residens, de subreptione et obreptione gratiae, quae super absolutione alicuius publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere coeperat, aut remissione poenae, ad quam criminosus per eum condemnatus fuerit, falsis precibus impetratur, per se ipsum, tanquam sedis apostolicae delegatus, etiam summarie cognoscat, ipsamque gratiam[63]), postquam per falsi narrationem aut veri taciturnitatem obtentam esse legitime constiterit, non admittat.

C. VI. *Non citetur personaliter episcopus, nisi depositionis aut privationis causa.*

Quoniam vero subditi episcopo, tametsi iure correpti fuerint[64]), magnopere tamen eum odisse, et, tanquam iniuria affecti sint, falsa

Sess. XIII. 61) c. 2. C. III. qu. 8. c. 4. C. XV. qu. 7. (conc. Carth. II.) c. 1. 7. ib. (conc. Hisp. II.) c. 5. ib. (conc. Carth. III.) c. 6. ib. (Statt. eccl. ant.) — 62) Exod. XXIII. 1. Levit. XIX. 11. al. — 63) cf. c. 20. 22. X. de reser. I. 3. (Innoc. III.) — 64) sec. verb. Ps. Evar. in c. 21. C. II. qu. 7.

illi crimina obiicere solent, ut, quoquo pacto possint, ei molestiam exhibeant, cuius vexationis timor plerumque illum ad inquirenda et punienda eorum delicta segniorem reddit: idcirco, ne is magno suo et ecclesiae incommodo gregem sibi creditum relinquere, ac non sine episcopalis dignitatis diminutione vagari cogatur, ita statuit et decrevit: Episcopus, nisi ob causam[65]), ex qua deponendus sive privandus veniret, etiam si ex officio, aut per inquisitionem, seu 100.
denunciationem vel accusationem, sive alio quovis modo procedatur, ut personaliter compareat, nequaquam citetur vel moneatur.

C. VII. *Qualitates testium contra episcopum describuntur.*

Testes in causa criminali ad informationem, vel indicia, seu alias in causa principali, contra episcopum, nisi contestes et bonae conversationis, existimationis et famae fuerint, non recipiantur; et si odio, temeritate aut cupiditate aliquid deposuerint, gravibus poenis mulctentur.

C. VIII. *Graves episcoporum causae a Pont. Max. cognoscantur.*

Causae episcoporum, quum pro criminis obiecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Max. referantur[66]), ac per ipsum terminentur.

DECRETUM

Prorogationis definitionis quatuor articulorum de sacramento eucharistiae, et salvi conductus protestantibus dandi.

Eadem sancta synodus errores omnes, qui super hoc sanctissimo sacramento repullularunt, tanquam vepres ex agro dominico evellere, ac omnium fidelium saluti prospicere cupiens, quotidianis pre- 101.
cibus Deo omnipotenti pie oblatis inter alios, ad hoc sacramentum pertinentes articulos diligentissima veritatis catholicae inquisitione tractatos, plurimis accuratissimisque pro rerum gravitate disputationibus habitis, cognitis quoque praestantissimorum theologorum sententiis, hos etiam tractabat: An necessarium sit ad salutem, et divino iure praeceptum, ut singuli Christi fideles sub utraque specie ipsum venerabile sacramentum accipiant; et: Num minus sumat, qui sub altera, quam qui sub utraque communicat; et: An erraverit sancta mater ecclesia, laicos et non celebrantes sacerdotes sub panis specie duntaxat communicando; et: An parvuli etiam communicandi sint. Sed quoniam ex nobilissima Germaniae provincia ii, qui se protestantes nominant, super his ipsis articulis, antequam definiantur, audiri a sancta synodo cupiunt, et eam ob

Sess. XIII. 65) cf. Sess. XXIV. de ref. c. 5. — 66) conc. Sard. c. 4. (c. 7. C. VI. qu. 4.) — cf. Sess. XXIV. 5.

causam fidem publicam ab illa postularunt, ut ipsis tuto huc venire, et in hac urbe commorari, ac libere coram synodo dicere atque proponere quae senserint, et postea, quum libuerit, recedere liceat; sancta ipsa synodus, licet magno desiderio eorum adventum multos antea menses exspectarit, tamen ut pia mater, quae ingemiscit et parturit, summopere id desiderans ac laborans, ut in iis, qui Christiano nomine censentur, nulla sint schismata, sed, quemadmodum eundem omnes Deum et Redemptorem agnoscunt, ita idem dicant, idem credant, idem sapiant, confidens Dei misericordiae, et sperans fore, ut illi in sanctissimam et salutarem unius fidei, spei caritatisque concordiam redigantur, libenter eis in hac re morem gerens, securitatem et fidem, ut petierunt, publicam, quam salvum conductum vocant, quod ad se pertinet, eius, qui infra scriptus erit, tenoris dedit atque concessit, et eorum causa definitionem illorum articulorum ad secundam sessionem distulit; quam, ut illi commode ei interesse possint, in diem festum Conversionis D. Pauli, quae erit XXV. die mensis Ianuarii anni sequentis, indixit. Illudque praeterea statuit, ut in eadem sessione de sacrificio missae agatur,
102. propter magnam utriusque rei connexionem, intera sessione proxima de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis tractandum. Illam autem die festo divae Catharinae virginis et martyris, qui erit XXV. Novembris, habendam esse decrevit, simulque, ut in utraque materiam reformationis prosequatur.

SALVUS CONDUCTUS
DATUS
PROTESTANTIBUS.

Sacrosancta et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis, omnibus et singulis, sive ecclesiasticis sive saecularibus personis universae Germaniae, cuiuscunque gradus, status, conditionis et qualitatis sint, quae ad oecumenicum hoc et generale concilium accedere voluerint, ut de iis rebus, quae in ipsa synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere et tractare, ac ad ipsum oecumenicum concilium libere et tuto venire, et in eo manere et commorari, ac articulos, quot illis videbitur, tam scripto quam verbo offerre, proponere, et cum Patribus, sive iis, qui ab ipsa sancta synodo delecti fuerint, conferre et absque ullis conviciis et contumeliis disputare, necnon, quando illis placuerit, recedere possint et valeant, publicam fidem et plenam securitatem, quam salvum conductum appellant, cum omnibus et singulis clausulis et decretis necessariis et opportunis, etiamsi speciaiter, et non per verba generalia exprimi deberent, quae pro expressis haberi voluit, quantum ad ipsam S. synodum spectat, concedit. Placuit praeterea sanctae synodo, ut, si pro maiori libertate ac securitate eorum, certos tam pro commissis, quam pro committendis per eos delictis, iudices eis deputari cupiant, illos sibi benevolos nominent, etiamsi delicta ipsa quantumcunque enormia ac haeresim sapientia fuerint.

SESSIO XIV. 103.
QUAE EST QUARTA
SUB IULIO III., PONTIFICE MAXIMO, CELEBRATA
DIE XXV. NOVEMBRIS MDLI.

DOCTRINA DE SANCTISSIMIS POENITENTIAE ET EXTREMAE UNCTIONIS SACRAMENTIS.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis, quamvis in decreto de iustificatione[1]) multus fuerit de poenitentiae sacramento propter locorum cognationem necessaria quadam ratione sermo interpositus: tanta nihilominus circa illud nostra hac aetate diversorum errorum est multitudo, ut non parum publicae utilitatis retulerit, de eo exactiorem et pleniorem definitionem tradidisse, in qua demonstratis et convulsis, Spiritus sancti praesidio, universis erroribus, catholica veritas perspicua et illustris fieret; quam nunc sancta haec synodus Christianis omnibus perpetuo servandam proponit.

C. I. *De necessitate et institutione sacramenti poenitentiae.*

Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam in baptismo ipsius beneficio et gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, 104.
dives in misericordia[3]), cognovit figmentum nostrum[4]), illis etiam

Sess. XIV. 1) supr. Sess. VI. de iustific. 14. — 2) cf. infr. de poen. c. 5. — 3) Ephes. II. 4. — 4) Psal. CII. 14.

vitae remedium contulit, qui se postea in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet poenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Fuit[5]) quidem poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et iustitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abiecta et emendata tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta ait[6]): *Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.* Dominus etiam dixit[7]): *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Et princeps Apostolorum Petrus peccatoribus baptismo initiandis poenitentiam commendans dicebat[8]): *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Porro nec ante adventum Christi poenitentia erat sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante baptismum. Dominus autem sacramentum poenitentiae tunc praecipue instituit, quum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens[9]): *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatum, universorum Patrum consensus semper intellexit, et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes[10]),
105. magna ratione ecclesia catholica tanquam haereticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta haec synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei, et Christi evangelium annunciandi contra huiusmodi sacramenti institutionem falso detorquent.

C. II. *De differentia sacramenti poenitentiae et baptismi.*

Ceterum hoc sacramentum multis rationibus a baptismo differre dignoscitur[11]). Nam praeterquam quod materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet: constat certe, baptismi ministrum iudicem esse non oportere, quum ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. *Quid enim mihi*, inquit Apostolus[12]), *de iis, qui foris sunt, iudicare?* Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit[13]). Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non

Sess. XIV. 5) supr. Sess. VI. de iustific. c. 14. — 6) Ezech. XVIII. 30. — 7) Luc. XIII. 3. — 8) Act. II. 38. — 9) Ioan. XX. 22. seq. — cf. infra de poen. can. 3. — 10) Euseb. Hist. eccl. VI. 8. — 11) cf. infra de poen. can. 8. et supr. Sess. VI. de iust. c. 14. — 12) 1 Cor. V. 12. — 13) 1 Cor. XII. 13.

iam repetito baptismo ablui, quum id in ecclesia catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint, possent liberari. Alius praeterea est baptisimi, et alius poenitentiae fructus. Per baptismum enim Christum induentes[14]) nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum poenitentiae, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito poenitentia la- 106.
boriosus quidam baptismus[15]) a sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.

C. III. *De partibus et fructibus huius sacramenti.*

Docet praeterea sancta synodus, sacramenti poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo etc.*, quibus quidem de ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur; ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae. Sunt autem quasi materia huius sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio[16]), confessio et satisfactio. Qui quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione poenitentiae partes dicuntur. Sane vero res et effectus huius sacramenti, quantum ad eius vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus conscientiae pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Haec de partibus et effectu huius sacramenti sancta synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui poenitentiae partes incussos conscientiae terrores et fidem esse contendunt.

C. IV. *De contritione.* 107.

Contritio[17]), quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, et in homine post baptismum lapso ita demum praeparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua coniunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta synodus, hanc

Sess. XIV. 14) Gal. III. 27. — 15) cf. Greg. Naz. Or. In sancta lumina (39), Ioan. Damasc. de fide orthodoxa IV. 10. — 16) cf. infr. de poen. c. 4. supr. Sess. VI. de iust. c. 14. — 17) cf. Sess. XIV. de iust. c. 6. et 14.

cerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob ecclesiae offensae aedificationem delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde quum a sanctissimis et antiquissimis Patribus magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio ecclesia sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato
111. alienam et inventum humanum esse, atque a Patribus[32]) in concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur; neque enim per Lateranense concilium ecclesia statuit[33]), ut Christi fideles confiterentur, quod iure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut praeceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus et singulis, quum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Unde iam in universa ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimae, quem morem haec sancta synodus maxime probat et amplectitur tanquam pium et merito retinendum.

C. VI. *De ministro huius sacramenti et absolutione.*

Circa ministrum autem huius sacramenti declarat sancta synodus, falsas esse et a veritate evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines[34]) praeter episcopos et sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt, putantes verba illa Domini[35]): *Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo;* et[36]): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue contra institutionem huius sacramenti ita fuisse dicta[37]), ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem cuicunque factam. Docet quo-
112. que, etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti[38]) in ordinatione collatam tanquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere, eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annunciandi

Sess. XIV. 32) cf. infr. de poen. c. 8. et 14. — 33) c. 12. X. de poenit. V. 38. — 34) cf. infr. de poen. c. 10. — 35) Matth. XVI. 19. XVIII. 18. — 36) Ioan. XX. 23. — 37) cf. Sess. VII. de sacr. can. 10. — 38) cf. c. 8. D. XIX. (Anast. II.)

evangelium, vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus iudicialis[39]), quo ab ipso velut a iudice sententia pronunciatur. Atque ideo non debet poenitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut, etiamsi nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem vere et coram Deo esse absolutum. Nec enim fides sine poenitentia remissionem ullam peccatorum praestaret, nec is esset nisi salutis suae negligentissimus, qui sacerdotem ioco se absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requireret.

C. VII. *De casuum reservatione.*

Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem[40]). Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus[41]) nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur, unde merito Pontifices maximi pro suprema po- 113.
testate sibi in ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare[42]). Neque dubitandum esset, quando omnia, quae a Deo sunt[43]), ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique dioecesi[44]), in aedificationem tamen, non in destructionem liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinae auctoritati non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis[45]), atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt; extra quem articulum sacerdotes quum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.

Sess. XIV. 39) cf. infr. de poen. can. 9. — 40) c. 2. de poenit. in VIto V. 10. (Bonif. VIII.) — 41) cf. e. gr. c. 52. C. XVI. qu. 1. (Greg. I.) c. 29. C. XVII. qu. 4. (conc. Lat. II.) et al. — 42) cf. e. gr. c. 29. C. XVII. qu. 4. (conc. Lat. II.) c. 1. 3. X. de sent. exc. V. 39. (Alex. III.) c. 19. 22. 24. ib. (Clem. III.) c. 32. ib. (Innoc. III.) c. 11. h. t. in VIto V. 11. (Greg. X.) c. 18. ib. (Bonif. VIII.) c. 1. h. t. in Extr. comm. V. 10. (Bonif. VIII.) et al. — 43) Rom. XIII. 1. — 44) cf. Sess. XXIV. de ref. c. 6. — 45) cf. c. 5. de poenis in VIto V. 9. (Bonif. VIII.) Clem. 3. h. t. V. 8. (Clem. V.) c. 1. de privil. in Extr. comm. V. 7. (Bened. XI.)

C. VIII. *De satisfactionis necessitate et fructu.*

Demum quoad satisfactionem, quae ex omnibus poenitentiae par-
114. tibus, quemadmodum a Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maxime nostra aetate summo pietatis praetextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt, sancta synodus declarat, falsum omnino esse et a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti[46]), quin universa etiam poena condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris literis exempla reperiuntur[47]), quibus, praeter divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinae iustitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare[48]) et Spiritum sanctum contristare non formidaverint[49]). Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut iniurii et contumeliosi Spiritui sancto[50]) in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae[51]). Proculdubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi freno quodam coercent hae satisfactoriae poenae, cautioresque et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino poenam, quam ut haec poenitentiae[52]) opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad haec, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit[53]), ex quo omnis nostra sufficientia est[54]), conformes efficimur, certissi-
115. mam quoque inde arrham habentes, quod, si compatimur[55]), et conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Iesum; nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus[56]). Ita non habet homo unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est[57]), in quo vivimus[58]), in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae[59]), qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, et per illum acceptantur a Patre. Debent ergo sacerdotes

Sess. XIV. 46) cf. Sess. VI. c. 14. et c. 30. de iustif. ib. et huius Sess. de poen. can. 12. — 47) cf. Gen. III. 16. seqq. 2 Reg. XII. 13. seq. Num. XII. 14 seq. XX. 11. seq. — 48) 1 Cor. III. 17. — 49) Ephes. IV. 30. — 50) Hebr. X. 29. — 51) Rom. II. 5. Iac. V. 3. — 52) cf. Matth. III. 2 et 8. IV. 17. XI. 21. et al. — 53) Rom. V. 10. 1 Ioan. II. 1. seq. — 54) 2 Cor. III. 5. — 55) Rom. VIII. 17. — 56) 2 Cor. III. 5. Phil. IV. 13. — 57) 1 Cor. I. 31. 2 Cor. X. 17. Gal. VI. 14. — 58) Act. XVII. 28. — 59) Matth. III. 8. Luc. III. 8.

Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones iniungere, ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem: nam claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas[60]), etiam antiqui Patres et credunt et docent. Nec propterea existimarunt, sacramentum poenitentiae esse forum irae vel poenarum, sicut nemo unquam catholicus sensit, ex huiusmodi nostris satisfactionibus vim meriti et satisfactionis Domini nostri Iesu Christi vel obscurari[61]) vel aliqua ex parte imminui; quod dum novatores intelligere volunt, ita optimam poenitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim et usum tollant.

C. IX. *De operibus satisfactionis.* 116.

Docet praeterea, tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis, et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus.

DOCTRINA DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Visum est autem sanctae synodo, praecedenti doctrinae de poenitentia adiungere ea, quae sequuntur de sacramento extremae unctionis, quod non modo poenitentiae, sed et totius Christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus. Primum itaque circa illius institutionem declarat[62]) et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum[63]), quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviori spiritus incommodo possint: ita extremae unctionis sacramento finem vitae tanquam firmissimo quodam praesidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat[64]), et captet, ut

Sess. XIV. 60) Matth. XVI. 19. Ioan. XX. 23. cf. supr. c. 1. et infra ead. de poen. can. 3. et 15. — 61) cf. infr. l. c. can. 14. — 62) cf. infr. de sacr. extr. unct. can. 1. — 63) Ephes. VI. 10. seqq. — 64) 1 Petr. V. 8.

devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tem-
117. pus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos[65]), quam quum impendere nobis exitum vitae prospicit.

C. I. *De institutione sacramenti extremae unctionis.*

Instituta est autem haec sacra unctio infirmorum tanquam vere et proprie sacramentum novi testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum[66]), per Iacobum autem apostolum[67]) ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, et effectum huius salutaris sacramenti. Intellexit enim ecclesia, materiam esse oleum ab episcopo benedictum, nam unctio aptissime Spiritus sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat; formam deinde esse illa verba: *Per istam unctionem* etc.

C. II. *De effectu huius sacramenti.*

Res porro et effectus huius sacramenti illis verbis explicatur[68]): *Et*
118. *oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Res etenim haec gratia est Spiritus sancti[69]), cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis[70]) calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.

C. III. *De ministro huius sacramenti, et tempore, quo dari debeat.*

Iam vero, quod attinet ad praescriptionem eorum, qui et suscipere, et ministrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis praedictis traditum. Nam et ostenditur illic, proprios huius sacramenti ministros esse ecclesiae presbyteros, quo nomine eo loco non aetate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi, aut sacerdotes[71]) ab ipsis rite

Sess. XIV. 65) cf. infr. c. 2. extr. — 66) Marc. VI. 13. — 67) Iac. V. 14. seq. — 68) Iac. ib. 15. — 69) cf. infr. de sacr. extr. unct. can. 2. — 70) Gen. III. 15. — 71) c. 3. D. XCV. (Innoc. I.) cf. infr. l. c. can. 4.

ordinati[72]) per impositionem manuum presbyterii. Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur, unde et sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt, quum in aliud simile vitae discrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Iacobi sententiam docent[73]),
hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus 119.
acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiae habentem; et qui illam iam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum duntaxat in primitiva ecclesia referenda esset; et qui dicunt, ritum et usum, quem sancta Romana ecclesia in huius sacramenti administratione observat, Iacobi Apostoli sententiae repugnare[74]), atque ideo in alium commutandum esse; et denique, qui hanc extremam unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Haec enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profecto ecclesia Romana, aliarum omnium mater et magistra, aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea, quae huius sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod beatus Iacobus praescripsit. Neque vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere et ipsius Spiritus sancti iniuria esse posset.

Haec sunt, quae de poenitentiae et extremae unctionis sacramentis sancta haec oecumenica synodus profitetur et docet, atque omnibus Christi fidelibus credenda et tenenda proponit. Sequentes autem canones inviolabiliter servandos esse tradit, et asserentes contrarium perpetuo damnat et anathematizat.

DE SANCTISSIMO POENITENTIAE SACRAMENTO.

Can. I. Si quis dixerit[75]), in catholica ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum: anathema sit.

Can. II. Si quis sacramenta confundens[76]), ipsum baptis- 120.
mum poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari[77]): anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum sanctum*[78]), *quorum remiseritis peccata, remiti-*

Sess. XIV. 72) 1 Tim. IV. 14. — 73) Iac. V. 14. seq. — 74) cf. infr. l. c. can. 3. — 75) cf. supr. de poen. c. 1. — 76) cf. cap. cit. — 77) cf. c. 72. D. I. de poen. — 78) Matth. XVI. 19. Ioan. XX. 23. seq. — cf. Sess. VI. de iustif. c. 14. et hui. sess. c. 1. de poen.

tuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut ecclesia catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem huius sacramenti ad auctoritatem praedicandi evangelium: anathema sit.

CAN. IV. Si quis negaverit[79]), ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae agnito peccato, et fidem conceptam ex evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata: anathema sit.

CAN. V. Si quis dixerit[80]), eam contritionem, quae paratur
121. per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae[81]), ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium: anathema sit.

CAN. VI. Si quis negaverit[82]), confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum: anathema sit.

CAN. VII. Si quis dixerit[83]), in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta[84]), et circumstantias, quae peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia: anathema sit.

CAN. VIII. Si quis dixerit[85]), confessionem omnium pecca-
122. torum, qualem ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles iuxta magni concilii Lateranensis

---

Sess. XIV. 79) cf. supra de poen. c. 3. — 80) cf. ib. c. 4. — 81) Isa. XXXVIII. 15. — 82) cf. supr. de poen. c. 5. — 83) cf. cap. cit. — 84) Deut. V. 21. — 85) cf. supr. de poen. c. 5.

constitutionem[86]) semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimae: anathema sit.

CAN. IX. Si quis dixerit[87]), absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti; modo tantum credat se esse absolutum; aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos eum absolvere possit: anathema sit.

CAN. X. Si quis dixerit[88]), sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum[89]): *Quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo;* et[90]): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem: anathema sit.

CAN. XI. Si quis dixerit[91]), episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum 123.
reservationem non prohibere, quo minus sacerdos a reservatis vere absolvat: anathema sit.

CAN. XII. Si quis dixerit[92]), totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse: anathema sit.

CAN. XIII. Si quis dixerit[93]), pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis vel a sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, ut ieiuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus; atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam: anathema sit.

CAN. XIV. Si quis dixerit[94]), satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes: anathema sit.

CAN. XV. Si quis dixerit[95]), claves ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi; et fictionem esse, quod,

---

Sess. XIV. 86) c. 12. X. de poen. V. 38. et infra inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 87) cf. supr. de poen. c. 6. extr. — 88) cf. c. 5. 6. ib. — 89) Matth. XVI. 19. XVIII. 18. — 90) Ioan. XX. 23. — 91) cf. supr. de poen. c. 7 — 92) cf. ib. c. 8. — 93) cf. ib. c. 8. seq. — 94) cf. ib. c. 8. — 95) cf. ib. c. 1. extr. et c. 8. extr.

virtute clavium sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat: anathema sit.

124. DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

CAN. I. Si quis dixerit[96]), extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum[97]) et a beato Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum: anathema sit.

CAN. II. Si quis dixerit[98]), sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum: anathema sit.

CAN. III. Si quis dixerit, extremae unctionis ritum[99]) et usum, quem observat sancta Romana ecclesia, repugnare sententiae beati Iacobi Apostoli[100]), ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni: anathema sit.

CAN. IV. Si quis dixerit[1]), presbyteros ecclesiae, quos beatus Iacobus[2]) adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate; ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem: anathema sit.

125. DECRETUM DE REFORMATIONE.

Prooemium.

Episcoporum munus est subditos, praesertim ad animarum curam constitutos, admonere officii sui.

Quum proprie episcoporum munus sit, subditorum omnium vitia redarguere[3]), hoc illis praecipue cavendum erit, ne clerici, praesertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neve inhonestam vitam ipsis conniventibus ducant. Nam si eos pravis et corruptis moribus esse permittant, quo pacto laicos de ipsorum vitiis redarguent[4]), qui uno ab eis sermone convinci possent, quod clericos ipsis patiantur esse deteriores? Qua etiam libertate laicos corripere poterunt sacerdotes; quum tacite sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse, quae corripiunt[5])? Monebunt propterea episcopi suos clericos, in quocunque ordine fuerint[6]), ut conversatione, sermone et scientia commisso sibi Dei populo praeeant, memores eius, quod scriptum est[7]): *Sancti estote, quia ei ego sanctus*

Sess. XIV. 96) cf. supr. de extr. unct. pr. et c. 1. — 97) Marc. VI. 13. Iac. V. 14. seq. — 98) cf. supr. l. c. c. 2. — 99) cf. ib. c. 3. — 100) Iac. V. 14. seq. — 1) cf. supra l. c. c. 3. — 2) Iac. V. 14. — 3) cf. c. 13. X. de off. iud. ord. I. 31. (conc. Lat. IV.) — supr. Sess. VI. de ref. c. 3. — 4) 1 Cor. IX. 27. — 5) verba Hieronym. in c. 6. D. XXVI. — 6) cf. Sess. XXII. c. 1. de ref. — 7) Lev. XI. 44. XIX. 2. XX. 7. 1 Petr. I. 16.

sum. Et iuxta Apostoli vocem nemini[8]) dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum; sed in omnibus exhibeant se sicut ministros Dei, ne illud Prophetae dictum impleatur in eis[9]): *Sacerdotes Dei contaminant sancta, et reprobant legem.* Ut autem ipsi episcopi id liberius exsequi, ac quoquam praetextu desuper impediri nequeant, eadem sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legato et nunciis, hos, qui sequuntur, canones statuendos et de- 126.
cernendos duxit.

C. I. *Si prohibiti ascendere ad ordines ascendant, si interdicti, si suspensi, puniantur.*

Quum honestius ac tutius sit subiecto, debitam praepositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo praelato, ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, dignitates, sive honores restitutio suffragetur.

C. II. *Si episcopus quoscunque ordines contulerit sibi non subdito, etiam familiari, sine expresso proprii praelati consensu, uterque decretae poenae subiaceat.*

Et, quoniam nonnulli episcopi ecclesiarum, quae in partibus infidelium consistunt, clero carentes et populo Christiano, quum fere vagabundi sint et permanentem sedem non habeant, non quae Iesu Christi, sed alienas oves[10]) inscio proprio pastore quaerentes, dum per hanc sanctam synodum se pontificalia officia in alterius dioecesi, nisi de loci ordinarii expressa licentia, et in personas eidem or- 127.
dinario subiectas tantum exercere prohibitos vident, in legis fraudem et contemptum quasi episcopalem cathedram in loco nullius dioecesis sua temeritate eligunt, et quoscunque ad se venientes, etiam si suorum episcoporum seu praelatorum literas commendatitias non habeant, clericali charactere insignire, et ad sacros etiam presbyteratus ordines promovere praesumunt; quo plerumque fit, ut minus idonei, et rudes, ac ignari, et qui a suo episcopo tanquam inhabiles et indigni reiecti fuerunt, ordinati nec divina officia peragere, nec ecclesiastica sacramenta recte valeant ministrare: nemo episcoporum, qui titulares vocantur, etiam si in loco nullius dioecesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cuiusvis ordinis rese-

Sess. XIV. 8) 2 Cor. VI. 3. seq. — 9) Ezech. XXII. 26. Sophon. III. 4. — 10) cf. infr. de ref. c. 8. et Sess. VI. de reform. c. 5.

derint aut moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii sibi de promovendo quoscunque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii praelati expresso consensu aut literis dimissoriis[11]) ad aliquos sacros aut minores ordines vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens ab exercitio pontificalium per annum, taliter vero promotus ab exsecutione ordinum sic susceptorum, donec suo praelato visum fuerit, ipso iure sint suspensi.

C. III. *Episcopus suos clericos ab alio male promotos suspendere potest, si minus idoneos repererit.*

Episcopus quoscunque suos clericos[12]), praesertim in sacris constitutos, absque suo praecedenti examine et commendatitiis literis
128. quacunque auctoritate promotos, licet tanquam habiles ab eo, a quo ordinati sunt, probatos, quos tamen ad divina officia celebranda seu ecclesiastica sacramenta ministranda minus idoneos et capaces repererit, a susceptorum ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, suspendere, et illis, ne in altari aut aliquo ordine ministrent, interdicere possit.

C. IV. *Nullus clericus eximatur a correctione episcopi, etiam extra visitationem.*

Omnes ecclesiarum praelati[13]), qui ad corrigendos subditorum excessus diligenter intendere debent, et a quibus nullus clericus per huius sanctae synodi statuta cuiusvis privilegii praetextu tutus censetur, quo minus iuxta canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi possit, si in ecclesiis suis resederint, quoscunque saeculares clericos, qualitercunque exemptos, qui alias suae iurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus et delictis, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem, tanquam ad hoc apostolicae sedis delegati, corrigendi et castigandi facultatem habeant[14]): quibuscunque exemptionibus, declarationibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis, concordiis, quae suos tantum obligent auctores, ipsis clericis, ac eorum consanguineis, capellanis, familiaribus, procuratoribus, et aliis quibuslibet, ipsorum exemptorum contemplatione et intuitu minime suffragantibus.

129. C. V. *Conservatorum iurisdictio certis finibus concluditur.*

Insuper, quum nonnulli, qui sub praetextu, quod super bonis et rebus ac iuribus suis diversae eis iniuriae ac molestiae inferantur, certos iudices per literas conservatorias deputari obtinent, qui illos

Sess. XIV. 11) cf. Sess. VI. de ref. c. 5. Sess. XXIII. de ref. c. 3. 8. 10. — 12) cf. cap. prox. antec. et Sess. XXIII. de ref. c. 8. — 13) supra de ref. in pr. et Sess. VI. de ref. c. 3. — cf. c. 13. X. de off. iud. ord. I. 31. (conc. Lat. IV.) — 14) cf. Sess. VI. de ref. c. 4. Sess. XXIV. de ref. c. 5.

a molestiis et iniuriis huiusmodi tueantur ac defendant, et in possessione seu quasi bonorum, rerum ac iurium suorum manu teneant et conservent, neque super illis eos molestari permittant, eiusmodi literas in plerisque contra concedentis mentem in reprobum sensum detorqueant: idcirco nemini omnino, cuiuscunque dignitatis et conditionis sit, etiam si capitulum fuerit, conservatoriae literae, cum quibuscunque clausulis aut decretis, et quorumcunque iudicum deputatione, quocunque etiam alio praetextu aut colore concessae, suffragentur ad hoc, ut coram suo episcopo, sive alio superiore ordinario, in criminalibus et mixtis causis accusari et conveniri, ac contra eum inquiri et procedi non possit; aut quo minus, si qua iura ei ex concessione competierint, super illis libere valeat apud iudicem ordinarium conveniri. In civilibus etiam causis, si ipse actor exstiterit, aliquem ei apud suos conservatores iudices in iudicium trahere minime liceat. Quod si in iis causis, in quibus ipse reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo conservator ab actore suspectus esse dicatur, aut si qua inter ipsos iudices, conservatorem et ordinarium, controversia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos super suspicione aut iurisdictionis competentia fuerit iudicatum. Familiaribus vero eius, qui huius- 130.
modi literis conservatoriis tueri se solent, nihil illae prosint, praeterquam duobus duntaxat, si tamen illi propriis eius sumptibus vixerint. Nemo etiam similium literarum beneficio ultra quinquennium gaudere possit. Non liceat quoque conservatoribus iudicibus ullum habere tribunal erectum. In causis vero mercedum aut miserabilium personarum huius sanctae synodi super hoc decretum[15]) in suo robore permaneat. Universitates autem generales, ac collegia doctorum seu scholarium, et regularia loca, nec non hospitalia, actu hospitalitatem servantia, ac universitatum, collegiorum, locorum et hospitalium huiusmodi personae in praesenti canone minime comprehensae, sed exemptae omnino sint et esse intelligantur.

C. VI. *Poena decernitur in clericos, qui in sacris constituti aut beneficia possidentes, ordini suo congruente veste non utuntur.*

Quia vero, etsi habitus[16]) non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant; tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes vestes etiam publice deferant laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus: propterea omnes

Sess. XIV. 15) cf. Sess. VII. c. 14. de ref. — 16) verba Innoc. III. in c. 13. X. de regular. III. 31.

ecclesiasticae personae quantumcunque exemptae, quae aut in sa-
131. cris fuerint, aut dignitates, personatus, officia aut beneficia qua-
liacunque ecclesiastica obtinuerint, si postea, quam ab episcopo
suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habi-
tum clericalem, illorum ordini ac dignitati congruentem, et iuxta
ipsius episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per sus-
pensionem ab ordinibus ac officio, et beneficio ac fructibus, rediti-
bus et provenientibus ipsorum beneficiorum, nec non, si semel cor-
repti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum
et beneficiorum huiusmodi coerceri possint et debeant, constitutio-
nem Clementis V. in concilio Viennensi editam, quae incipit[17]):
Quoniam, innovando et ampliando.

C. VII. *Voluntarii homicidae nunquam, casuales quomodo ordinandi.*

Quum etiam qui per industriam occiderit proximum suum et per in-
sidias, ab altari avelli debeat[18]), qui sua voluntate homicidium per-
petraverit, etiam si crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec
alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros
ordines promoveri possit; nec illi aliqua ecclesiastica beneficia,
etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni
ordine, ac beneficio et officio ecclesiastico perpetuo careat. Si vero
homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut
quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob
132. causam etiam ad sacrorum ordinum, et altaris ministerium et be-
neficia quaecunque ac dignitates iure quodammodo dispensatio de-
beatur, committatur loci ordinario, aut ex causa metropolitano seu
viciniori episcopo, qui non nisi causa cognita et probatis precibus
ac narratis, nec aliter, dispensare possit.

C. VIII. *Nulli alienos clericos ex privilegio punire liceat.*

Praeterea, quia nonnulli[19]), quorum etiam aliqui veri sunt pasto-
res ac proprias oves habent, alienis etiam ovibus praeesse quae-
runt, et ita alienis subditis quandoque intendunt, ut suorum curam
negligant: quicunque, etiam episcopali praeditus dignitate, qui
alienos subditos puniendi privilegium habuerit, contra clericos sibi
non subiectos, praesertim in sacris constitutos, quorumcunque
etiam atrocium criminum reos, nisi quum proprii ipsorum clericorum
episcopi, si apud ecclesiam suam resederit, aut personae ab ipso
episcopo deputandae interventu nequaquam procedere debeat; alias
processus et inde secuta quaecunque viribus omnino careant.

Sess. XIV. 17) Clem. 2. de vit. et hon. cler. III. 1. et infr. inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 18) Exod. XXI. 14., relat. in c. 1. X. de hom. V. 12. — 19) cf. supr. ead. de ref. c. 2. et Sess. VI. de ref. c. 5.

C. IX. *Beneficia unius dioecesis nulla de causa uniantur beneficiis alterius.*

Et, quia iure optimo distinctae fuerunt dioeceses et parochiae[20]),
ac unicuique gregi proprii attributi pastores et inferiorum eccle- 133.
siarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo
ecclesiasticus non confundatur, aut una et eadem ecclesia duarum
quodammodo dioecesum fiat non sine gravi eorum incommodo, qui
illi subditi fuerint: beneficia unius dioecesis, etiam si parochiales
ecclesiae, vicariae perpetuae, aut simplicia beneficia, seu praesti-
monia aut praestimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi
cultum divinum aut numerum beneficiatorum, aut alia quacunque
de causa, alterius dioecesis beneficio, aut monasterio, seu collegio
vel loco etiam pio perpetuo non uniantur[21]); decretum huius
sanctae synodi super huiusmodi unionibus in hoc declarando.

C. X. *Regularia beneficia regularibus conferantur.*

Regularia beneficia[22]), in titulum regularibus professis provideri
consueta, quum per obitum, aut resignationem vel alias illa in ti-
tulum obtinentis vacare contigerit, religiosis tantum illius ordinis,
vel iis, qui habitum omnino suscipere et professionem emittere te-
neantur, et non aliis, ne vestem lino lanaque contextam induant[23]),
conferantur.

C. XI. *Translati ad alium ordinem in claustro sub obedientia maneant, et beneficiorum saecularium incapaces exsistant.*

Quia vero regulares, de uno ad alium ordinem translati, facile a
superiore licentiam standi extra monasterium obtinere solent, 134.
ex quo vagandi et apostatandi occasio tribuitur, nemo cuiuscunque
ordinis praelatus vel superior vigore cuiusvis facultatis aliquem
ad habitum et professionem admittere possit, nisi ut in ordine ipso,
ad quem transfertur, sub sui superioris obedientia in claustro per-
petuo maneat, ac taliter translatus, etiamsi canonicorum regula-
rium fuerit, ad beneficia saecularia, etiam curata, omnino inca-
pax exsistat.

C. XII. *Nemo nisi ex fundatione vel dotatione ius patronatus obtineat.*

Nemo, etiam[24]) cuiusvis dignitatis ecclesiasticae vel saecularis,
quacunque ratione, nisi ecclesiam, beneficium aut capellam de no-
vo fundaverit et construxerit, seu iam erectam, quae tamen sine

---

Sess. XIV. 20) cf. c. 9. X. de his, quae fiunt a prael. III. 10. (Innoc. III.) — cf. Sess. XXIV. de ref. c. 13. extr. 1 et c. 7. — 21) cf. Sess. VII. de ref. c. 6. seq. Sess. XXIV. de ref. c. 13. et 15. — 22) cf. Sess. XXV. de ref. c. 21. — cf. c. 5. de praeb. in VIto III. 4. (Bonif. VIII.) — 23) Deut. XXII. 11. — cf. c. 27. de elect. I. 6. (Innoc. III.) — 24) cf. Sess. XXV. de ref. c. 9.

sufficienti dote fuerit, de suis propriis et patrimonialibus bonis competenter dotaverit, ius patronatus impetrare aut obtinere possit aut debeat. In casu autem fundationis aut dotationis huiusmodi institutio episcopo, et non alteri inferiori reservetur.

C. XIII. *Praesentatio fiat ordinario; alias praesentatio et institutio sit nulla.*

Non liceat praeterea patrono cuiusvis privilegii praetextu aliquem
135. ad beneficia sui iuris patronatus[25]), nisi episcopo loci ordinario, ad quem provisio seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, iure pertineret, quoquo modo praesentare; alias praesentatio ac institutio forsan secutae nullae sint et esse intelligantur.

C. XIV.

Declarat praeterea sancta synodus, in futura sessione, quam ad XXV. diem Ian. subsequentis anni MDLII. habendam esse iam decrevit, una cum sacrificio missae agendum et tractandum etiam esse de sacramento ordinis, et prosequendam esse materiam reformationis.

SESSIO XV.

QUAE EST QUINTA SUB IULIO III., PONTIFICE MAXIMO, CELEBRATA

DIE XXV. IANUAR MDLII.

DECRETUM PROROGATIONIS SESSIONIS.

Quum ex eo, quod proximis sessionibus decretum fuit, sancta haec et universalis synodus per hos dies accuratissime diligentissimeque tractaverit ea, quae ad sanctissimum missae sacrificium et ad sacramentum ordinis spectant, ut hodierna sessione, quemadmodum Spiritus sanctus suggessisset, decreta de his rebus, et quatuor praeterea articulos ad sanctissimum eucharistiae sacramentum pertinentes in hanc tandem sessionem dilatos publicaret; atque interim affuturos esse putaverit ad hoc sacrosanctum concilium eos, qui se protestantes vocant, quorum causa eorum publicationem articulorum distulerat; et ut libere ac sine cunctatione ulla huc veni-

Sess. XIV. 25) cf. Sess. et cap. cit. — cf. c. 8. 21. X. de iure patr. III. 38. (Alex. III.)

rent, fidem eis publicam, sive salvum conductum concesserat*): 136.
tamen, quum illi nondum venerint, et eorum nomine supplicatum huic sanctae synodo fuerit, ut publicatio, quae hodierno die facienda fuerat, in sequentem sessionem differatur, certa spe allata, affuturos eos esse omnino multo ante illam sessionem, salvo conductu amplioris formae interim accepto, eadem sancta synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, iisdem legato et nunciis praesidentibus, nihil magis optans, quam ex praestantissima natione Germanica omnes de religione dissensiones et schismata tollere, ac eius quieti, paci otioque consulere, parata ipsos, si venerint, et humaniter excipere, et benigne audire, confidensque, eos non fidei catholicae pertinaciter oppugnandae, sed veritatis cognoscendae studio esse venturos, et ut evangelicae veritatis studiosos decet, sanctae matris ecclesiae decretis et disciplinae ad extremum esse acquieturos, sequentem sessionem ad edenda et publicanda ea, quae supra commemorata sunt, in diem festum sancti Iosephi, qui erit die XIX. mensis Martii, distulit, ut illi satis temporis et spatii habeant non solum ad veniendum, verum etiam ad ea, quae voluerint, antequam is dies veniat, proponenda. Quibus ut omnem diutius cunctandi causam adimat, fidem publicam sive salvum conductum, eius, qui recitabitur, tenoris et sententiae, libenter dat et concedit. Interea vero de matrimonii sacramento agendum, et de eo, praeter superiorum decretorum publicationem, definiendum esse, eadem sessione statuit et decernit, et prosequendam esse materiam reformationis.

SALVUS CONDUCTUS DATUS PROTESTANTIBUS.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem sanctae sedis apostolicae legato et nunciis, inhaerendo salvo conductui in penultima sessione dato, et illum iuxta tenorem infra scriptum am- 137.
pliando, universis fidem facit, quod omnibus et singulis sacerdotibus, electoribus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militaribus, popularibus, et aliis quibuscunque viris, cuiuscunque status et conditionis aut qualitatis exsistant, Germaniae provinciae et nationis civitatibus, et aliis locis eiusdem,

*) Supra Sess. 13.

et omnibus aliis ecclesiasticis et saecularibus, praesertim Augustanae confessionis, personis, qui aut quae una cum ipsis ad hoc generale Tridentinum concilium venient aut mittentur, ac profecturi sunt aut hucusque venerunt, quocunque nomine censeantur aut valeant nuncupari, tenore praesentium publicam fidem et plenissimam verissimamque securitatem, quam salvum conductum appellant, libere ad hanc civitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipsa synodo de quibuscunque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, et omnia, quaecunque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet tam scripto quam verbo libere offerendi, propalandi, eosque scripturis sacris, et beatorum Patrum verbis, sententiis et rationibus declarandi, adstruendi et persuadendi, et, si opus fuerit, etiam ad obiecta concilii generalis respondendi, et cum iis, qui a concilio delecti fuerint disputandi christiane, aut caritative absque omni impedimento conferendi, opprobriis, conviciis ac contumeliis penitus semotis; et signanter, quod causae controversae secundum sacram scripturam, et Apostolorum traditiones, probata concilia et catholicae ecclesiae consensum, et sanctorum Patrum auctoritates in praedicto concilio Tridentino tractentur; illo etiam addito, ut religionis praetextu aut delictorum circa eam commissorum aut committendorum minime puniantur, impertitur ac omnino concedit, sic etiam, ut propter illorum praesentiam neque in itinere aut
138. quocunque locorum eundo, manendo aut redeundo, nec in ipsa civitate Tridentina a divinis officiis quovis modo cessetur; et ut his peractis vel non peractis, quandocunque ipsis libuerit, aut maiorum suorum mandato et assensu ad propria reverti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox absque ulla renitentia et occasione aut mora, salvis rebus eorum et suorum pariter honore et personis vice versa, possint iuxta beneplacitum libere et secure redire, de scientia tamen ab eadem synodo deputandorum, ut tunc opportune eorum securitati absque dolo et fraude provideatur. Vult etiam sancta synodus in hac publica fide salvoque conductu omnes quascunque clausulas includi et contineri ac pro inclusis haberi, quae pro plena, efficaci et sufficienti securitate in eundo, stando et redeundo necessariae et opportunae fuerint. Illud etiam ad maiorem securitatem et pacis ac conciliationis bonum exprimens, quod, si quispiam, aut illorum aliqui, sive in itinere Tridentum veniendo, sive ibidem morando aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicae et assecurationis beneficium eis concessum annullari aut cassari, vult et concedit, ut in huiusmodi facinore deprehensi ab ipsis duntaxat, et non ab aliis, condigna animadversione, cum emenda sufficienti per partem ipsius synodi merito approbanda et laudanda mox puniantur; illorum assecurationis forma, conditionibus et modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, ut, si quisquam vel aliqui ex ipsa synodo, sive in itinere, aut manendo aut redeundo

aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicae et assecurationis beneficium violari aut quoquo modo tolli, in huiusmodi facinore deprehensi ab ipsa synodo duntaxat, et non ab aliis, condigna animadversione, et emenda sufficienti, per partem dominorum Germanorum Augustanae confessionis, tunc hic praesentium, merito laudanda et approbanda, mox puniantur, praesenti assecurationis forma, conditionibus et modis omnino manentibus illibatis. Vult praeterea ipsa synodus, quod licet ipsis ambasciatoribus omnibus et singulis toties, quotiescunque opportunum fuerit seu necessarium, ad auram capiendam exire de civitate Tridentina, et reverti ad eandem, nec non nuncium vel nuncios suos ad quaecunque loca pro suis necessariis negotiis ordinandis libere mittere seu destinare, ac ipsos missos seu destinatos, seu missum et destinatum suscipere toties, quoties eis videbitur expedire; ita quod aliqui vel aliquis per deputandos concilii socientur, qui eorum securitati provideant vel provideat. Qui quidem salvus conductus et securitas stare ac durare debeat et a tempore, et per tempus, quo in ipsius synodi et suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit et usque ad Tridentum perduci, ac toto tempore mansionis eorum ibidem, et rursum post sufficientem audientiam habitam, spatio viginti dierum praemisso, quum ipsi petierint, aut concilium habita huiusmodi audientia ipsis recessum indixerit, a Tridento usque in quem quisque elegerit sibi locum tutum, Deo favente restituet, dolo et fraude prorsus exclusis. Quae quidem omnia pro universis et singulis Christi fidelibus, pro omnibus principibus tam ecclesiasticis quam saecularibus quibuscunque, atque omnibus aliis ecclesiasticis et saecularibus personis, cuiuscunque status et conditionis exsistant, aut quocunque nomine censeantur, inviolabiliter observanda esse promittit et bona fide spondet. Insuper omni fraude et dolo exclusis vera et bona fide promittit, ipsam synodum nullam vel manifeste vel occulte occasionem quaesituram, aut aliqua auctoritate, potentia, iure vel statuto, privilegio legum vel canonum, aut quorumcunque conciliorum, praesertim Constantiensis et Senensis, quacunque forma verborum expressa, in aliquod huius fidei publicae et plenissimae assecurationis, ac publicae et liberae audientiae, ipsis per ipsam synodum concessae, praeiudicium 140.
quovis modo usuram, aut quemquam uti permissuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si sancta synodus, aut aliquis ex ea vel suis, cuiuscunque conditionis, vel status aut praeeminentiae exsistens, praescriptae assecurationis et salvi conductus formam et modum in quocunque puncto vel clausula violaverit, quod tamen avertere dignetur Omnipotens, et sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta, ipsorum arbitrio merito approbanda et laudanda, habeant ipsam synodum et habere poterunt incidisse in omnes poenas, quas iure divino et humano aut consuetudine huiusmodi salvorum conductuum violatores incurrere possunt, absque omni excusatione aut quavis in hac parte contradictione.

SESSIO XVI.

QUAE EST SEXTA ET ULTIMA SUB IULIO III., PONTIFICE MAXIMO, CELEBRATA

DIE XXVIII. APRILIS MDLII.

DECRETUM SUSPENSIONIS CONCILII.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea reverendissimis dominis Sebastiano archiepiscopo Sipontino, et Aloysio episcopo Veronensi, apostolicis nunciis, tam eorum proprio, quam reverendissimi et illustrissimi domini Marcelli, tit. S. Marcelli sanctae Romanae ecclesiae cardinalis Crescentii, legati, ob adversam eius gravissimam valetudinem absentis, nomine, non dubitat Christianis omnibus patere, hoc concilium oecumenicum Tridentum primo a Paulo fel. rec. convocatum et collectum fuisse; deinde a sanctissimo domino nostro Iulio III., efflagitante Carolo quinto augustissimo imperatore ea praecipue de causa fuisse restitutum, ut
141. religionem in multis orbis partibus, et praesertim in Germania in diversas opiniones miserabiliter distractam in statum pristinum revocaret, abusus et mores Christianorum corruptissimos emendaret, quumque ad hoc agendum quamplurimi Patres nulla laborum suorum periculorumque habita ratione e diversis regionibus alacriter confluxissent, resque strenue, magno fidelium concursu feliciterque procederet, ac spes esset non levis, illos Germanos, qui eas novitates excitarant, in concilium venturos, sic animatos, ut veris ecclesiae rationibus unanimiter acquiescerent, lux denique quaedam rebus affulsisse videretur, caputque attollere inciperet profligata antea et afflicta respublica Christiana: ii repente tumultus, ea bella hostis generis humani versutia exarserunt, ut concilium velut haerere, ac suum cursum interrumpere satis incommode cogeretur, spesque omnis ulterioris progressus hoc in tempore tolleretur; tantumque aberat, ut sancta synodus Christianorum malis et incommodis mederetur, ut multorum mentes, praeter sui animi sententiam, irritaret potius quam placaret. Quum igitur ipsa sancta synodus omnia et praecipue Germaniam armis ardere et discordiis videret, omnes fere episcopos Germanos, praesertim principes electores suis consultum ecclesiis e concilio abiisse: decrevit tantae necessitati non reluctari, et ad meliora tempora reiicere, ut Patres, quod eis nunc agere non licet, suis ovibus prospectum ad suas ecclesias regredi valerent, ne diutius utrobique inutili otio conterantur. Atque ita, quoniam sic temporum conditio tulit, huius oecumenici

concilii Tridentini progressum per biennium suspendendum fore decernit, prout praesenti decreto suspendit; ea tamen lege, ut, si citius pacata res sit, ac tranquillitas pristina revertatur, quod sperat Dei Optimi Maximi beneficio non longo forsan spatio futurum, ipsius concilii progressus eodemmet tempore suam vim, firmitatem vigoremque habere censeatur. Sin autem, quod Deus avertat, peracto biennio praedicta legitima impedimenta non fuerint submota, quum primum cessaverint, talis suspensio eo ipso sublata esse intelligatur, ac suus vigor et robur concilio sit restitutum et esse in- 142.
telligatur sine alia nova concilii convocatione, accedente ad hoc decretum consensu et auctoritate Sanctitatis suae et sanctae sedis apostolicae.

Interea tamen eadem sancta synodus exhortatur omnes principes Christianos et omnes praelatos, ut observent, et respective, quatenus ad eos spectat, observare faciant in suis regnis, dominiis et ecclesiis omnia et singula, quae per hoc sacrum oecumenicum concilium fuerunt hactenus statuta et decreta.

BULLA CELEBRATIONIS CONCILII TRIDENTINI SUB PIO IV. PONT. MAX.

Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad ecclesiae regimen, licet tanto oneri impares, sola Dei dignatione vocati, statim circumferentes mentis oculos per omnes reipublicae Christianae partes, cernentesque non sine magno horrore, quam longe lateque pestis haeresum et schismatis pervasisset, et quanta Christiani populi mores correctione indigerent, in eam curam et cogitationem pro suscepti muneris officio incumbere coepimus, quemadmodum ipsas haereses exstirpare, tantumque et tam perniciosum schisma tollere, moresque adeo corruptos et depravatos emendare possemus. Quum autem intelligeremus, ad haec sananda mala aptissimum esse remedium, quod sancta haec sedes adhibere consuevisset, oecumenici generalisque concilii, eius congregandi et Deo iuvante celebrandi consilium cepimus. Indictum illud quidem antea fuit a fel. rec. Paulo III. et eius successore Iulio, praedecessoribus nostris; sed variis de causis saepius impeditum et interpellatum perfici non potuit. Siquidem Paulus, quum id primo in urbem Mantuam[1]), deinde Vincentiam indixisset, quasdam ob 143.

Sess. XVI. 1) supr. pag. 1.

causas, in literis eius expressas, id primo suspendit, postea Tridentum transtulit; deinde quum quibusdam de causis ibi quoque eius celebrandi tempus dilatum fuisset, tandem suspensione sublata, in eadem civitate Tridentina inchoatum fuit. Verum sessionibus aliquot habitis, et nonnullis decretis factis, ipsum se postea concilium, aliquibus de causis, accedente etiam sedis apostolicae auctoritate, Bononiam transtulit[2]). Iulius autem, qui ei successit, in eandem civitatem Tridentinam id revocavit, quo quidem tempore facta alia quaedam decreta sunt[3]). Sed quum novi in propinquis Germaniae locis tumultus excitati fuissent, et bellum in Italia et Gallia gravissimum exarsisset, rursus concilium suspensum et d latum fuit, adnitente nimirum humani generis hoste, aliasque ex aliis difficultates et impedimenta obiiciente, ut tantum ecclesiae commodum, quod prorsus auferre non poterat, saltem quam diutissime retardaret. Quantopere vero interea auctae fuerint et multiplicatae ac propagatae haereses, quantopere schisma creverit, sine maximo animi dolore nec meminisse possumus nec referre. Sed tandem pius et misericors Dominus, qui nunquam ita irascitur[4]), ut misericordiae obliviscatur, regibus et principibus Christianis pacem et unanimitatem donare dignatus est. Qua nos occasione oblata maximam in spem venimus, ipsius misericordia freti, fore, ut his tantis quoque ecclesiae malis eadem concilii via finis imponatur. Nos itaque ad schisma haeresesque tollendas, ad corrigendos et reformandos mores, ad pacem inter Christianos principes conservandam, celebrationem eius non esse duximus diutius differendam. Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, factis etiam consilii nostri certioribus carissimis in Christo filiis nostris Ferdinando Romanorum
144. imperatore electo, et aliis regibus atque principibus, quos quidem, sicut de eorum summa pietate et sapientia nobis pollicebamur, paratissimos ad ipsius concilii celebrationem adiuvandam invenimus, ad Dei omnipotentis laudem, honorem et gloriam, atque universalis ecclesiae utilitatem, de eorundem fratrum nostrorum consilio et assensu sacrum oecumenicum et generale concilium ex auctoritate eiusdem Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, qua nos quoque in terris fungimur, freti et subnixi, in civitate Tridentina ad sanctissimum diem Resurrectionis dominicae proxime futurum indicimus, et ibi celebrandum sublata suspensione quacunque statuimus atque decernimus. Quocirca venerabiles fratres nostros omnibus ex locis, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et dilectos filios abbates, ceterosque, quibus in concilio generali sedere et sententiam dicere iure communi vel ex privilegio, vel ex antiqua consuetudine licet, vehementer in Domino hortamur et monemus,

Sess. XVI. 2) supr. Sess. VIII. — 3) supr. Sess. XVI. — 4) Habac. III. 2.

atque etiam districte praecipiendo mandamus in virtute sanctae obedientiae, in vi quoque iuramenti, quod praestiterunt, et sub poenis, quas in eos, qui ad concilia generalia convenire neglexerint, sacris sciunt esse canonibus constitutas, ut ad concilium ibi celebrandum conveniant intra eam diem, nisi forte impedimento fuerint legitimo praepediti; quod tamen impedimentum per legitimos procuratores synodo probare debebunt. Monemus praeterea omnes et singulos, quorum interest interesseve poterit, ut in concilio adesse ne negligant. Carissimos vero in Christo filios nostros, Romanorum imperatorem electum, ceterosque reges et principes, quos optandum sane esset concilio interesse posse, hortamur et rogamus, ut, si ipsi concilio interesse non potuerint, at oratores suos, pru- 145.
dentes, graves et pios viros utique mittant, qui ipsorum nomine illi intersint, curentque diligenter pro sua pietate, ut ex eorum regnis atque dominiis praelati sine recusatione ac mora tam necessario tempore Deo et ecclesiae officium suum praestent: eosdem etiam curaturos esse minime dubitantes, ut per ipsorum regna et dominia tutum ac liberum iter praelatis, eorumque familiaribus, comitibus, et aliis omnibus ad concilium euntibus et ab illo redeuntibus pateat, benigneque ac comiter omnibus in locis recipiantur atque tractentur, sicut, quod ad nos attinet, ipsi quoque curabimus; qui nihil omnino praetermittere decrevimus, quod ad tam pium et salutare opus perficiendum a nobis in hoc loco constitutis praestari possit, nihil, ut Deus scit, quaerentes aliud, nihil propositum habentes in hoc concilio celebrando, nisi honorem ipsius Dei, dispersarum ovium reductionem ac salutem, et perpetuam Christianae reipublicae tranquillitatem ac quietem. Ut vero hae literae et quae in eis continentur ad omnium, quorum oportet, notitiam perveniant, nec quisquam ea excusatione uti possit, quod illa ignoraverit, praesertim quum non ad omnes, quos de his literis certiores fieri oporteret, tutus forsitan pateat aditus: volumus et mandamus, ut in basilica Vaticana principis Apostolorum, et in ecclesia Lateranensi tunc, quum in eis populus, ut missarum solennibus intersit, congregari solet, palam clara voce a curiae nostrae cursoribus seu notariis aliquibus publicis recitentur, et postquam recitatae fuerint, ad valvas earum ecclesiarum, itemque cancellariae apostolicae, et in loco solito Campi Florae affigantur, ibique, quo legi et omnibus innotescere possint, aliquamdiu relinquantur. Quum autem inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem et affixionem omnes et singulos, qui his literis comprehenduntur, post duos menses a die publicationis et affixionis earum volumus perinde adstrictos et obligatos esse, ac si ipsismet illae coram editae et lectae fuissent. 146.
Transsumptis quoque earum, quae manu publici alicuius notarii scripta subscriptave, et sigillo ac subscriptione alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita fuerint, ut sine dubitatione ulla fides habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli

ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae indictionis, statuti, decreti, praecepti, admonitionis et adhortationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDLX. III. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

ANTONIUS FLOREBELLUS LAVELLINUS.
BARENGUS.

SESSIO XVII.

SACROSANCTI, OECUMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI QUAE EST PRIMA SUB PIO IV. PONTIFICE MAXIMO, CELEBRATA

DIE XVIII. IANUARII MDLXII.

DECRETUM DE CELEBRANDO CONCILIO.

Placetne vobis ad laudem et gloriam sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, ad incrementum et axaltationem fidei et religionis Christianae, sacrum oecumenicum et generale concilium Tridentinum, in Spiritu sancto legitime congrega-
147. tum, ab hodierno die, qui est decimus octavus mensis Ian. anni a Nativitate Domini millesimi quingentesimi sexagesimi secundi, cathedrae Romanae B. Petri, Apostolorum principis, consecrato, sublata quacunque suspensione, iuxta formam et tenorem literarum sanctissimi Domini nostri Pii IV. Pont. Max. celebrari, et in eo ea debito servato ordine tractari, quae proponentibus legatis ac praesidentibus ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de religione controversias, coercendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, ecclesiae veram atque Christianam pacem conciliandam apta et idonea ipsi sanctae synodo videbuntur? Responderunt: *Placet.*

Indictio futurae sessionis.

Placetne vobis, proximam futuram sessionem habendam et celebrandam esse feria quinta post secundam dominicam Quadragesimae, quae erit die vigesima sexta mensis Februarii? Responderunt: *Placet.*

SESSIO XVIII.

QUAE EST SECUNDA SUB PIO IV. PONTIFICE MAXIMO, CELEBRATA

DIE XXVI. FEBRUARII MDLXII.

DECRETUM DE LIBRORUM DELECTU, ET OMNIBUS AD CONCILIUM FIDE PUBLICA INVITANDIS.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, non humanis quidem viribus confisa, sed Domini nostri Iesu Christi, qui os et sapientiam ecclesiae suae daturum se 148.
promisit[1]), ope et auxilio freta, illud praecipue cogitat, ut catholicae fidei doctrinam, multorum inter se dissidentium opinionibus pluribus locis inquinatam et obscuratam, in suam puritatem et splendorem aliquando restituat, et mores, qui a veteri instituto deflexerunt, ad meliorem vitae rationem revocet, corque patrum ad filios[2]) et cor filiorum ad patres convertat. Quum itaque omnium primum animadverterit, hoc tempore suspectorum ac perniciosorum librorum, quibus doctrina impura continetur et longe lateque diffunditur, numerum nimis excrevisse, quod quidem in causa fuit, ut multae censurae in variis provinciis et praesertim in alma urbe Roma pio quodam zelo editae fuerint, neque tamen huic tam magno ac pernicioso morbo salutarem ullam profuisse medicinam: censuit[3]), ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de censuris librisque quid facto opus esset diligenter considerarent, atque etiam ad eandem sanctam synodum suo tempore referrent, quo facilius ipsa possit varias et peregrinas doctrinas tanquam zizania[4]) a Christianae veritatis tritico separare, deque his commodius deliberare et statuere, quae ad scrupulum ex complurium animis eximendum et tollendas multarum querelarum causas magis opportuna videbuntur. Haec autem omnia ad notitiam quorumcunque deducta esse vult, prout etiam praesenti decreto deducit, ut, si quis ad se pertinere aliquo modo putaverit, quae vel de hoc librorum et censurarum negotio, vel de aliis, quae in hoc generali concilio tractanda praedixit, non dubitet a sancta synodo se benigne auditum iri.

Sess. XVIII. 1) Luc. XXI. 15. — 2) Luc. I. 17. — 3) cf. infr. Sess. XXV. extr. de indice libr. — 4) Matth. XIII. 30.

Quoniam vero eadem sancta synodus ex corde optat, Deumque enixe rogat quae ad pacem[5]) sunt ecclesiae, ut universi com-
149. munem matrem in terris agnoscentes, quae quos peperit[6]) oblivisci non potest, unanimes uno ore[7]) glorificemus Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi, per viscera misericordiae eiusdem Dei et Domini nostri omnes, qui nobiscum communionem non habent, ad concordiam et reconciliationem, et ut ad hanc sanctam synodum veniant, invitat atque hortatur, utque caritatem, quod est vinculum perfectionis[8]), amplectantur, pacemque Christi exsultantem in cordibus suis prae se ferant, in quam vocati sunt in uno corpore. Hanc ergo non humanam, sed Spiritus sancti vocem audientes, ne obdurent corda sua[9]), sed in suo sensu non ambulantes[10]), neque sibi placentes[11]), ad tam piam et salutarem matris suae admonitionem excitentur et convertantur. Omnibus enim caritatis officiis sancta synodus eos ut invitat, ita complectetur.

Insuper eadem sancta synodus decrevit, fidem publicam in congregatione generali concedi posse, et eandem vim habituram, eiusdemque roboris et momenti futuram, ac si in publica sessione data et decreta fuisset.

Indictio futurae sessionis.

Eadem sacrosancta Tridentina synodus, in spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, statuit et decernit, proximam futuram sessionem habendam et celebrandam esse feria quinta post sacratissimum festum Ascensionis Domini, quae erit die XIV. mensis Maii.

---

150. SALVUS CONDUCTUS
CONCESSUS
GERMANICAE NATIONI
IN CONGREGATIONE GENERALI DIE IV. MARTII MDLXII.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, universis fidem facit, quod omnibus et singulis sacerdotibus, electoribus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militaribus, popularibus, et aliis

Sess. XVIII. 5) Psalm. CXXI. 6. — 6) Isa XLIX. 15. — 7) Rom. XV. 6. — 8) Coloss. III. 14. seq. — 9) Psalm. XCIV. 8. Hebr. III. 8. — 10) Eph. IV. 17. — 11) Rom. XV. 1—3.

quibuscunque viris, cuiuscunque status et conditionis aut qualitatis exsistant, Germanicae provinciae et nationis civitatibus, ac aliis locis eiusdem, et omnibus aliis ecclesiasticis et saecularibus, praesertim Augustanae confessionis, personis, qui aut quae una cum ipsis ad hoc generale Tridentinum concilium venient aut mittentur, ac profecturi sunt aut hucusque venerunt, quocunque nomine censeantur aut valeant nuncupari, tenore praesentium publicam fidem et plenissimam verissimamque securitatem, quam salvum conductum apellant, libere ad hanc civitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipsa synodo de quibuscunque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, et omnia, quaecunque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet tam scripto quam verbo libere offerendi, propalandi, eosque scripturis sacris, et beatorum Patrum verbis, sententiis et rationibus declarandi, adstruendi et persuadendi, et, si opus fuerit, etiam ad obiecta concilii generalis respondendi et cum iis, qui a concilio delecti fuerint, disputandi, aut caritative absque omni impedimento conferendi, opprobriis, conviciis ac contumeliis penitus semotis; 152.
et signanter, quod causae controversae secundum sacram scripturam, et Apostolorum traditiones, probata concilia, catholicae ecclesiae consensum, et sanctorum Patrum auctoritates in praedicto concilio Tridentino tractentur; illo etiam addito, ut religionis praetextu aut delictorum circa eam commissorum aut committendorum minime puniantur, impertitur ac omnino concedit; sic etiam, ut propter illorum praesentiam neque in itinere, aut quocunque locorum eundo, manendo aut redeundo, nec in ipsa civitate Tridentina a divinis officiis quovis modo cessetur; et ut, his peractis vel non peractis, quandocunque ipsis libuerit, aut maiorum suorum mandato et assensu ad propria reverti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox absque ulla renitentia et occasione aut mora, salvis rebus eorum et suorum pariter honore et personis vice versa, possint iuxta beneplacitum libere et secure redire, de scientia tamen ab eadem synodo deputandorum, ut tunc opportune eorum securitati absque dolo et fraude provideatur. Vult enim sancta synodus in hac publica fide salvoque conductu omnes quascunque clausulas includi et contineri ac pro inclusis haberi, quae pro plena, efficaci et sufficienti securitate in eundo, stando et redeundo necessariae et opportunae fuerint. Illud etiam ad maiorem securitatem et pacis ac conciliationis bonum exprimens, quod, si quispiam, aut illorum aliqui, sive in itinere Tridentum veniendo, sive ibidem morando aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicae et assecurationis beneficium eis concessum annullari aut cassari, vult et concedit, ut in huiusmodi facinore deprehensi ab ipsis duntaxat, et non ab aliis, condigna animadversione, cum emenda sufficienti per partem ipsius synodi merito approbanda et laudanda, mox puniantur; illorum assecu- 151.
rationis forma, conditionibus et modis omnino manentibus illibatis.

Pariformiter etiam vult, ut, si quisquam vel aliqui ex ipsa synodo, sive in itinere, aut manendo aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicae et assecurationis beneficium violari aut quoquo modo tolli, in huiusmodi facinore deprehensi ab ipsa synodo duntaxat, et non ab aliis, condigna animadversione et emenda sufficienti, per partem dominorum Germanorum Augustanae confessionis, tunc hic praesentium, merito laudanda et approbanda, mox puniantur, praesenti assecurationis forma, conditionibus, et modis omnino manentibus illibatis. Vult praeterea ipsa synodus, quod liceat ipsis ambasciatoribus omnibus et singulis toties, quotiescunque opus fuerit seu necessarium, ad auram capiendam exire de civitate Tridentina, et reverti ad eandem, nec non nuncium vel nuncios suos ad quaecunque loca pro suis necessariis negotiis ordinandis libere mittere seu destinare, ac ipsos missos seu destinatos, seu missum et destinatum suscipere toties, quoties eis videbitur expedire; ita quod aliqui vel aliquis per deputandos concilii socientur, qui eorum securitati provideant vel provideat. Qui quidem salvus conductus et securitates stare ac durare debeant et a tempore, et per tempus, quo in ipsius synodi et suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit et usque ad Tridentum perduci, ac toto tempore mansionis eorum ibidem, et rursum post sufficientem audientiam habitam, spatio viginti dierum praemisso, quum ipsi petierint aut concilium habita huiusmodi audientia ipsis recessum indixerit, a Tridento usque in quem quisque elegerit sibi locum tutum, Deo favente restituet, dolo et fraude prorsus exclusis. Quae quidem omnia pro universis et singulis Christi fidelibus, pro omnibus principibus tam ecclesiasticis quam saecularibus quibuscunque, atque omnibus aliis ecclesiasticis et saecularibus personis, cuiuscunque status et conditionis exsistant,
153. aut quocunque nomine censeantur, inviolabiliter observanda esse promittit et bona fide spondet. Insuper omni fraude et dolo exclusis vera et bona fide promittit, ipsam synodum nullam vel manifeste vel occulte occasionem quaesituram, aut aliqua auctoritate, potentia, iure vel statuto, privilegio legum vel canonum, aut quorumcunque conciliorum, praesertim Constantiensis et Senensis, quacunque forma verborum expressa, in aliquod huius fidei publicae et plenissimae assecurationis, ac publicae et liberae audientiae, ipsis per ipsam synodum concessae, praeiudicium quovis modo usuram, aut quemquam uti permissuram, quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si sancta synodus, aut aliquis ex ea vel suis, cuiuscunque conditionis vel status aut praeeminentiae exsistens, praescriptae assecurationis et salvi conductus formam et modum in quocunque puncto vel clausula violaverit, quod tamen avertere dignetur Omnipotens, et sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta, ipsorum arbitrio merito approbanda et laudanda, habeant ipsam synodum et habere poterunt incidisse in omnes poenas, quas iure divino et humano aut consuetudine huiusmodi salvorum con-

ductuum violatores incurrere possunt, absque omni excusatione aut quavis in hac parte contradictione.

Extensio ad alias nationes.

Eadem sacrosancta synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis de latere legatis, omnibus et singulis aliis, qui nobiscum in iis, quae sunt fidei, communionem non habent, ex quibuscunque regnis, nationibus, provinciis, civitatibus ac locis, in quibus publice et impune praedicatur vel docetur sive creditur contrarium eius, quod sancta Romana sentit ecclesia, dat fidem publicam sive salvum conductum sub ea- 154.
dem forma et eisdem verbis, quibus datur Germanis.

SESSIO XIX.

QUAE EST TERTIA SUB PIO IV. PONTIFICE MAXIMO CELEBRATA

DIE XIV. MAII MDLXII.

DECRETUM PROROGATIONIS SESSIONIS.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, decreta ea, quae hodie in praesenti sessione statuenda ac sancienda erant, iustis nonnullis ac honestis causis in feriam quintam post proximam solennitatem Corporis Christi, quae erit pridie Nonas Iunii, proroganda esse censuit ac prorogat, dictaque die sessionem habendam esse ac celebrandam omnibus indicit. Interea rogandus est Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, auctor pacis, ut sanctificet corda omnium, quo adiuvante sancta synodus et nunc et semper meditari atque peragere valeat quae ad eius laudem et gloriam pertineant.

SESSIO XX.

QUAE EST QUARTA

SUB PIO IV. PONTIFICE MAXIMO,

CELEBRATA

DIE IV. IUNII MDLXII.

DECRETUM PROROGATIONIS SESSIONIS.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spi-
155. ritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, propter varias difficultates ex diversis causis exortas, atque etiam ut congruentius maiorique cum deliberatione omnia procedant, nempe ut dogmata cum iis, quae ad reformationem spectant, simul tractentur et sanciantur, ea, quae statuenda videbuntur tam de reformatione quam de dogmatibus in proxima sessione, quam omnibus indicit in diem sextam decimam subsequentis mensis Iulii, definienda esse decrevit; hoc tamen adiecto, quod dictum terminum ipsa sancta synodus pro eius arbitrio et voluntate, sicuti rebus concilii putaverit expedire, etiam in generali congregatione, restringere et prorogare libere possit et valeat.

SESSIO XXI.

QUAE EST QUINTA

SUB PIO IV. PONTIFICE MAXIMO,

CELEBRATA

DIE XVI. MENSIS IULII MDLXII.

DOCTRINA DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE, ET PARVULORUM.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, quum de tremendo et sanctissimo eucharistiae sacramento varia diversis in locis errorum monstra nequissimi daemonis artibus circumferantur, ob quae in nonnullis provinciis multi a catholicae ecclesiae fide atque obedientia videantur discessisse, censuit ea, quae ad communionem sub utraque specie et parvulo-

rum pertinent, hoc loco exponenda esse. Quapropter cunctis Chri- 156.
sti fidelibus interdicit, ne posthac de iis aliter vel credere, vel docere vel praedicare audeant, quam est his decretis explicatum atque definitum.

C. I. *Laicos et clericos non conficientes non adstringi iure divino ad communionem sub utraque specie.*

Itaque sancta ipsa synodus, a Spiritu sancto, qui spiritus est sapientiae[1]) et intellectus, spiritus consilii et pietatis, edocta, atque ipsius ecclesiae iudicium et consuetudinem secuta[2]), declarat ac docet, nullo divino praecepto laicos et clericos non conficientes obligari ad eucharistiae sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto salva fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. Nam, etsi Christus Dominus in ultima coena venerabile hoc sacramentum in panis et vini speciebus instituit[3]) et Apostolis tradidit, non tamen illa institutio et traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo apud Ioannem VI. recte colligitur, utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse, utcunque iuxta varias sanctorum Patrum et doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit[4]): *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, dixit quoque[5]): *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Et qui dixit[6]): *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*, dixit etiam[7]): *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro* 157.
mundi vita. Et denique, qui dixit[8]): *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo*, dixit nihilominus[9]): *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

C. II. *Ecclesiae potestas circa dispensationem sacramenti eucharistiae.*

Praeterea declarat, hanc potestatem perpetuo in ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, quum ait: *Sic nos existimet homo*[10]) *ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*, atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso sacramento, quum, ordinatis nonnullis circa eius usum:

Sess. XXI. 1) Isa. XI. 2. — 2) conc. Constantiens. Sess. XIII. — cf. infr. can. 2. — 3) Matth. XXVI. 26 — 28. Marc. XIV. 22 — 24. Luc. XXII. 19. seq. 1 Cor. XI. 24. seq. — 4) Ioan. VI. 54. — 5) ib. VI. 52. — 6) ib. VI. 55. — 7) ib. VI. 52. — 8) ib. VI. 57. — 9) ib. VI. 59. — 10) 1 Cor. IV. 1.

Cetera, inquit[11]), *quum venero*, *disponam*. Quare agnoscens sancta mater ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianae religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissime iam mutata illa consuetudine, gravibus et iustis causis adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit[12]), et pro lege habendam decrevit, quam reprobare aut sine ipsius ecclesiae auctoritate pro libito mutare non licet.

158. C. III. *Totum et integrum Christum ac verum sacramentum sub qualibet specie sumi.*

Insuper declarat, quamvis Redemptor noster, ut antea dictum est, in suprema illa coena hoc sacramentum in duabus speciebus instituerit[13]) et Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum[14]) verumque sacramentum sumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

C. IV. *Parvulos non obligari ad communionem sacramentalem.*

Denique eadem sancta synodus docet[15]), parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem eucharistiae communionem, siquidem per baptismi lavacrum regenerati[16]) et Christo incorporati adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est.

---

159. ## DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE ET PARVULORUM.

Can. I. Si quis dixerit[17]), ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi eucharistiae sacramenti sumere debere: anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit[18]), sanctam ecclesiam catholicam non iustis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse: anathema sit.

Sess. XXI. 11) 1 Cor. XI. 34. — 12) conc. Constantiens. Sess. XIII. — 13) cf. loc. alleg. not. 3. supr. — 14) cf. supr. Sess. XIII. de euch. c. 3. et can. 3. — 15) cf. infr. ead. can. 4. — 16) Tit. III. 5. — 17) cf. supr. ead. c. 1. — 18) cf. cap. cit.

Can. III. Si quis negaverit[19]), totum et integrum Christum omnium gratiarum fontem et auctorem sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur: anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, parvulis[20]), antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem: anathema sit.

Duos vero articulos alias propositos[21]), nondum tamen excussos, videlicet: an rationes, quibus sancta catholica ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una tantum panis specie, ita sint retinendae, ut nulla 160.
ratione calicis usus cuiquam sit permittendus; et: an, si honestis et Christianae caritati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quaenam sint illae; eadem sancta synodus in aliud tempus, oblata sibi quamprimum occasione, examinandos atque definiendos reservat.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, ad Dei omnipotentis laudem et sanctae ecclesiae ornamentum ea, quae sequuntur, de reformationis negotio in praesenti statuenda esse censuit.

C. I. *Episcopi gratis cum ordines conferant, tum dimissorias et testimoniales literas dent, pro quibus eorum ministri nihil prorsus, notarii autem quod in decreto praefinitum est accipiant.*

Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiae suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam clericalis tonsurae, nec pro literis dimissoriis aut testimonialibus, nec pro 161.
sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponte oblatum, episcopi, et alii ordinum collatores, aut eorum ministri quovis praetextu accipiant. Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissoriis aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo. Nec episcopo ex notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directe vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos praestare omnino teneri decernit, contrarias taxas, ac statuta et consuetudines, etiam immemorabiles, quorumcunque locorum, quae potius abusus et corruptelae simoniacae pravitati faventes nuncupari possunt, pe-

---

Sess. XXI. 19) cf. supr. c. 3. Sess. XIII. de euch. c. 3. et can. 3. — 20) cf. supr. c. 4. — 21) cf. Sess. XIII. extr. et infr. Sess. XXII. in decr. fin.

nitus cassando et interdicendo, et qui secus fecerint, tam dantes quam accipientes, ultra divinam ultionem poenas a iure[22]) inflictas ipso facto incurrant.

C. II. *Arcentur a sacris ordinibus qui non habent unde vivere possint.*

Quum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere, compertumque sit, complures plerisque in locis ad sacros ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt se beneficium ecclesiasticum aut etiam idoneas facultates
162. obtinere: statuit sancta synodus, ne quis deinceps clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit; et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint. Atque illa deinceps sine licentia episcopi alienari aut exstingui vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint; antiquorum canonum[23]) poenas super his innovando.

C. III. *Ratio distributiones quotidianas augendi praescribitur; quibus debeantur; non servientium contumacia punitur.*

Quum beneficia ad divinum cultum atque ecclesiastica munia obeunda sint constituta[24]), ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium praestetur: statuit sancta synodus in ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae[25]), vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcun-
163. que proventuum et obventionum, tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum, separari debere, et in distributiones quotidianas converti, quae inter dignitates obti-

Sess. XXI. 22) c. 6. C. I. qu. 1. (Gelas.) c. 8. ead. (conc. Chalc.) c. 101. ib. (conc. Tol. XI.) c. 107. ib. (Nicol. II. in conc. Rom.) c. 113. ib. (Gregor. VII. in conc. Rom.) cf. c. 14. C. II. qu. 5. et c. 4. X. de sim. V. 3. (Gregor. I.) c. 5. X. eod. (id.) c. 11. 13. eod. (Alex. III.) c. 30 ib. (Innoc. III.) et al. — 23) cf. 2. X. de praeb. III. 5. (Epit. Nov. Iul.) c. 4. ib. (conc. Lat. III.) c. 16. et 23. ib. (Innoc. III.) c. 37. h. t. in VIto III. 4. (Bonif. VIII.) — 24) cf. c. 15. in VIto de rescr. I. 3. (Bonif. VIII.) — 25) cf. Sess. XXII. c. 3. de ref.

nentes et ceteros divinis interessentes proportionabiliter iuxta divisionem ab episcopo, etiam tanquam apostolicae sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam, dividantur, salvis tamen consuetudinibus earum ecclesiarum, in quibus non residentes seu non servientes nihil vel minus tertia parte percipiunt; non obstantibus exemptionibus, ac aliis consuetudinibus, etiam immemorabilibus, et appellationibus quibuscunque. Crescenteque[26]) non servientium contumacia, liceat contra eos procedere iuxta iuris ac sacrorum canonum dispositionem.

C. IV. *Coadiutores curae animarum quando sint assumendi. Ratio novas parochias erigendi traditur.*

Episcopi, etiam tanquam apostolicae sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. In iis vero, in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias, etiam invitis rectoribus, iuxta formam constitutionis Alexandri III.[27]), quae incipit: *Ad audientiam*, constituere possint. Illis 164.
autem sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio arbitrio episcopi ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus; et, si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam; quacunque reservatione generali vel speciali vel affectione super dictis ecclesiis non obstantibus. Neque huiusmodi ordinationes et erectiones possint tolli nec impediri ex quibuscunque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus.

C. V. *Possunt episcopi facere uniones perpetuas in casibus a iure permissis.*

Ut etiam ecclesiarum status, ubi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conservetur, possint episcopi, etiam tanquam apostolicae sedis delegati, iuxta formam iuris, sine tamen praeiudicio obtinentium, facere uniones[28]) perpetuas quarumcunque ecclesiarum parochialium et baptismalium, et aliorum beneficiorum cura-

Sess. XXI. 26) cf. c. 16. 17. X. de cler. non res. III. 4. (Greg. IX.) et Sess. XXIII. de ref. c. 1. — 27) c. 3. X. de eccl. aedif. III. 38. et infr. inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 28) cf. c. 8. X. de excess. prael. V. 33. (Alex. III.) et Sess. XIV. de ref. c. 9. Sess. XXIV. c. 13.

torum vel non curatorum cum curatis, propter earum paupertatem et in ceteris casibus a iure permissis, etiam si dictae ecclesiae vel beneficia essent generaliter vel specialiter reservata aut qualitercunque affecta. Quae uniones etiam non possint revocari, nec quoque modo infringi vigore cuiuscunque provisionis, etiam ex causa resignationis, aut derogationis aut suspensionis.

165. C. VI. *Imperitis parochis vicarii assignata parte fructuum deputentur; in scandalo perseverantes privari beneficiis possint.*

Quia illiterati[29]) et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis, et alii propter eorum vitae turpitudinem potius destruunt quam aedificant, episcopi, etiam tanquam apostolicae sedis delegati, eisdem illiteratis et imperitis, si alias honestae vitae sint, coadiutores aut vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, quacunque appellatione et exemptione remota. Eos vero[30]), qui turpiter et scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerint, coerceant ac castigent, et, si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, iuxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione et appellatione quacunque remota, privandi facultatem habeant.

C. VII. *Episcopi transferant beneficia ex ecclesiis, quae nequeunt restaurari; alias vero reparari curent; quid in hoc servandum sit.*

Quum illud quoque valde curandum sit, ne ea, quae sacris mini-
166. steriis dicata sunt, temporum iniuria obsolescant et ex hominum memoria excidant, episcopi, etiam tanquam apostolicae sedis delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam iuris patronatus, ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sint, et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorum arbitrio suo; atque in eisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub eisdem invocationibus; vel in iam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis. Parochiales vero ecclesias, etiam si iuris patronatus sint, ita collapsas refici et instaurari procurent ex fructibus et proventibus quibuscunque[31]), ad easdem ecclesias quomodocunque pertinentibus. Qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos et alios, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, aut,

Sess. XXI. 29) cf. c. 1. D. XXXVI. (Gelas.) c. 1. D. XXXVIII. (conc. Tol. IV.) c. 18. X. de renunc. I. 9. (Innoc. III.) — 30) cf. c. 13. 14. 15. X. de vita et hon. cler. III. 1. (conc. Lat. IV.) — 31) c. 1. (conc. Mogunt.) c. 4. (Alex. III.) de eccl. aedif. III. 38.

in illorum defectum, parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant, quacunque appellatione, exemptione et contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad matrices seu viciniores ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas parochiales quam alias ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.

C. VIII. *Monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, et beneficia quaecunque quotannis ab episcopis visitentur.*

Quaecunque in dioecesi ad Dei cultum spectant, ab ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri aequum est. Propterea commendata monasteria, etiam abbatiae, prioratus et praepositu- 167.
rae nuncupatae, in quibus non viget regularis observantia, nec non beneficia tam curata quam non curata, saecularia et regularia, qualitercunque commendata, etiam exempta, ab episcopis, etiam tanquam apostolicae sedis delegatis, annis singulis visitentur[32]); curentque iidem episcopi congruentibus remediis, etiam per sequestrationem fructuum, ut quae renovatione indigent aut restauratione reficiantur, et cura animarum, si qua illis vel eorum annexis immineat, aliaque debita obsequia recte exerceantur; appellationibus quibuscunque, privilegiis, consuetudinibus, etiam immemorabili tempore praescriptis, conservatoriis, iudicum deputationibus, et eorum inhibitionibus non obstantibus. Et, si in eis vigeret observantia regularis[33]), provideant episcopi paternis admonitionibus, ut eorum regularium superiores iuxta eorum regularia instituta debitam vivendi rationem observent et observari faciant, et sibi subditos in officio contineant ac moderentur. Quod si admoniti intra sex menses eos non visitaverint vel correxerint, tunc iidem episcopi, etiam ut delegati sedis apostolicae, eos visitare possint et corrigere, prout ipsi superiores possent iuxta eorum instituta; quibuscunque appellationibus, privilegiis et exemptionibus penitus remotis et non obstantibus.

C. IX. *Quaestorum eleemosynarum nomen et usus tollitur. Indulgentias et spirituales gratias ordinarii publicent. Duo de capitulo eleemosynas gratis accipiant.*

Quum multa a diversis antea conciliis, tam Lateranensi[34]) ac Lug- 168.
dunensi, quam Viennensi[35]), adversus pravos eleemosynarum quaestorum[36]) abusus remedia tunc adhibita posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiusque eorum malitia ita quotidie magno

Sess. XXI. 32) cf. Sess. VII. de ref. c. 8. Sess. XXIV. de ref. c. 9. Sess. XXV. de regular. et mon. c. 20. — 33) cf. Sess. XXV. cap. cit. — 34) c. 62. X. de poenit. V. 38. — 35) Clem. 2. h. t. V. 9. — 36) cf. Sess. V. de ref. c. 2. Sess. XXV. decr. de indulg.

fidelium omnium scandalo et querela excrescere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur: statuit, ut posthac in quibuscunque Christianae religionis locis eorum nomen atque usus penitus aboleatur, nec ad officium huiusmodi exercendum ullatenus admittantur; non obstantibus privilegiis, ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, piis locis et quibusvis cuiuscunque gradus, status et dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Indulgentias vero aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christi fideles decet privari, deinceps per ordinarios locorum, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decernit. Quibus etiam eleemosynas atque oblata sibi caritatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur, ut tandem coelestes hos ecclesiae thesauros non ad quaestum, sed ad pietatem exerceri omnes vere intelligant.

Indictio futurae sessionis.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, statuit et decrevit, proximam futuram sessionem habendam et celebrandam esse feria quinta post octavam festi Nativitatis beatae Mariae Virginis, quae erit decima septima mensis Septembris proxime futuri; hoc tamen adiecto quod dictum terminum, ac unicuique sessioni in posterum praefigendum, ipsa
169. sancta synodus pro eius arbitrio et voluntate, sicuti rebus concilii putaverit expedire, etiam in generali congregatione restringere et prorogare libere possit et valeat.

SESSIO XXII.

QUAE EST SEXTA SUB PIO IV. PONTIFICE MAXIMO, CELEBRATA

DIE XVII. SEPTEMBRIS MDLXII.

DOCTRINA DE SACRIFICIO MISSAE.

Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, ut vetus, absoluta atque omni ex parte perfecta de magno eucharistiae mysterio in sancta catholica ecclesia

fides atque doctrina retineatur[1]), et in sua puritate propulsatis erroribus atque haeresibus conservetur, de ea, quatenus verum et singulare sacrificium est, Spiritus sancti illustratione edocta, haec, quae sequuntur, docet, declarat et fidelibus populis praedicanda decernit.

C. I. *De institutione sacrosancti missae sacrificii.*

Quoniam sub priori testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit, Deo patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consum- 170.
mare et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, et si semel se ipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem sacerdotium eius exstinguendum non erat[2]), in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret[3]), atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans[4]), corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: *Hoc facite in meam commemorationem*[5]), uti semper catholica ecclesia intellexit et docuit. Nam celebrato veteri pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat[6]), novum instituit pascha se ipsum, ab ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque[7]) de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit. Et haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest; quam Dominus per Malachiam[8]) nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit, et quam non obscure innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens[9]), 171.
quum dicit, non posse eos, qui participatione mensae daemoniorum polluti sint, mensae Domini participes fieri, per mensam altare utrobique intelligens. Haec denique illa est, quae per varias sacri-

---

Sess. XXII. 1) Hebr. VII. 11. — 2) Hebr. VII. 24. Hebr. IX. 28. — 3) 1 Cor. XI. 24. seqq. — 4) Psalm. CIX. 4. — 5) Luc. XXII. 19. 1 Cor. l. c. — 6) Exod. XIII. — 7) Coloss. I. 13. — 8) Malach. I. 11. — 9) 1 Cor. X. 20. seq.

ficiorum[10]) naturae et legis tempore similitudines figurabatur, utpote quae bona omnia per illa significata velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.

C. II. *Sacrificium missae est propitiatorium tam pro vivis quam pro defunctis.*

Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit[11]), docet sancta synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cuius quidem oblationis cruentae, inquam, fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur, tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis[12]) rite iuxta Apostolorum traditionem offertur.

172. C. III. *De missa in honorem sanctorum.*

Et quamvis in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum missas ecclesia celebrare consueverit[13]), non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris.

C. XIV. *De canone missae.*

Et quum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, ecclesia catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum canonem multis ante saeculis instituit[14]), ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

Sess. XXII. 10) Gen. IV. 4. XII. 8. et al. — 11) Hebr. IX. 28. — 12) cf. infr. can. 3. et Sess. XXV. in pr. — 13) cf. infr. can. 5. et Sess. XXV. de invoc. sanct. — 14) cf. c. 1. D. c. XLVII. seqq. et c. 6. X. de celebr. miss. III. 41. (Innoc. III.)

C. V. *De missae caeremoniis et ritibus.* 173.

Quumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore in missa pronunciarentur, instituit, caeremonias item adhibuit[15]), ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione, quo et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

C. VI. *De missa, in qua solus sacerdos communicat.*

Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen, si id non semper fiat, propterea missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat, siquidem illae quoque missae vere communes censeri debent; partim, quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico ecclesiae ministro non pro se 174.
tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.

C. VII. *De aqua miscenda vino in calice offerendo.*

Monet deinde sancta synodus, praeceptum esse ab ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent[16]), tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere eius aqua simul cum sanguine exierit[17]); quod sacramentum hac mixtione recolitur et, quum aquae in Apocalypsi beati Ioannis populi dicantur[18]), ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.

C. VIII. *Missa vulgari lingua non celebretur. Eius mysteria populo explicentur.*

Etsi missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubique cuiusque ecclesiae antiquo et a sancta Romana ecclesia, omnium ecclesiarum matre et magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant[19]), et non sit qui frangat eis, mandat sancta synodus pasto-

---

Sess. XXII. 15) cf. infr. can. 7. — 16) cf. c. 4. 5. D. II. de cons. (conc. Carth. III.) c. 7. ead. (conc. Brac. III.) cit. c. 6. X. de celebr. miss. — 17) Ioan. XIX. 34. — 18) Apoc. XVII. 1. et 15. — 19) Thren. IV. 4.

175. ribus[20]) et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis, quae in missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis et festis.

C. IX. *Prolegomenon canonum sequentium.*

Quia vero adversus veterem hanc in sacrosancto evangelio, Apostolorum traditionibus sanctorumque Patrum doctrina fundatam fidem hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque a multis docentur et disputantur, sancta synodus, post multos gravesque his de rebus mature habitos tractatus, unanimi omnium consensu, quae huic purissimae fidei, sacraeque doctrinae adversantur, damnare et a sancta ecclesia eliminare per subiectos hos canones constituit.

DE SACRIFICIO MISSAE.

Can. I. Si quis dixerit, in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari: anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, illis verbis[21]): *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes[22]); aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum: anathema sit.

176. Can. III. Si quis dixerit, missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium[23]); vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere: anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per missae sacrificium, aut illi per hoc derogari: anathema sit.

Can. V. Si quis dixerit, imposturam esse, missas celebrare in honorem sanctorum[24]), et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut ecclesia intendit: anathema sit.

Can. VI. Si quis dixerit, canonem missae errores continere[25]), ideoque abrogandum esse: anathema sit.

Can. VII. Si quis dixerit[26]), caeremonias, vestes et externa signa, quibus in missarum celebratione ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis: anathema sit.

Sess. XXII. 20) cf. Sess. V. de ref. c. 2. Sess. XXIV. de ref. c. 7. — 21) 1 Cor. XI. 25. — 22) cf. supr. c. 1. — 23) supr. c. 2. — 24) supr. c. 3. — 25) supr. c. 4. — 26) supr. c. 5.

Can. VIII. Si quis dixerit, missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat[27]), illicitas esse ideoque abrogandas: 177.
anathema sit.

Can. IX. Si quis dixerit, ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse[28]); aut lingua tantum vulgari missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo[29]), eo quod sit contra Christi institutionem: anathema sit.

DECRETUM DE OBSERVANDIS ET EVITANDIS IN CELEBRATIONE MISSAE.

Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris literis[30]) eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur: satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate[31]), atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. Quum igitur multa iam sive temporum vitio, sive hominum incuria et improbitate irrepsisse videantur, quae a tanti sacrificii dignitate aliena sunt, ut ei debitus honor et cultus ad Dei gloriam et fidelis populi aedificationem restituatur, decernit sancta synodus, ut ordinarii locorum episcopi ea omnia prohibere atque e medio tollere sedulo curent ac teneantur, quae vel avaritia, idolorum servitus[32]), vel irreverentia, quae ab 178.
impietate vix seiuncta esse potest, vel superstitio, verae pietatis falsa imitatrix, induxit.

Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quicquid pro missis novis celebrandis datur, nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque huiusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant.

Deinde, ut irreverentia vitetur, singuli in suis dioecesibus interdicant, ne cui vago et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat. Neminem praeterea, qui publice et notorie criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant; neve patiantur privatis in domibus[33]), atque omnino extra ecclesiam, et

---

Sess. XXII. 27) supr. c. 6. — 28) supr. c. 8. — 29) supr. c. 7. — 30) Ier. XLVIII. 10. — 31) cf. Sess. XIII. c. 7. de sacr. euch. — 32) c. Eph. V. 5. — 33) cf. c. 12. D. I. de cons. (conc. Mog.) c. 34. ead. (conc. Trull.) et al.

ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscunque peragi, ac nisi prius qui intersint decenter composito corporis habitu declaraverint, se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solum corpore, adesse. Ab ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur, item saeculares omnes actiones, vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, ut domus Dei vere domus orationis[34]) esse videatur ac dici possit.

Postremo, ne superstitionis locus aliquis detur, edicto et poe-
179. nis propositis caveant, ne sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent, neve ritus alios aut alias caeremonias et preces in missarum celebratione adhibeant, praeter eas, quae ab ecclesia probatae ac frequenti et laudabili usu receptae fuerint. Quarundam vero missarum et candelarum certum numerum, qui magis a superstitioso cultu, quam a vera religione inventus est, omnino ab ecclesia removeant, doceantque populum, quis sit, et a quo potissimum proveniat sanctissimi huius sacrificii tam pretiosus ac coelestis fructus. Moneant etiam eundem populum, ut frequenter ad suas[35]) parochias, saltem diebus dominicis et maioribus festis, accedant. Haec igitur omnia, quae summatim enumerata sunt, omnibus locorum ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quaecunque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a sacrosancta synodo potestate, ac etiam, ut delegati sedis apostolicae, prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis aliisque poenis, quae illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant; non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscunque.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem apostolicae sedis legatis, ut reformationis negotium prosequatur, haec in praesenti sessione statuenda censuit.

180. C. I. *Decreta de vita et honestate clericorum innovantur.*

Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum[36]), qui se divino ministerio dedicarunt. Quum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos con-

Sess. XXII. 34) Isa. LVI. 7. Matth. XXI. 13 — 35) cf. c. 35. D. I. de cons. (conc. Agath.) c. 4. 5. C. IX. qu. 2. et c. 2. X. de paroch. III. 29. (conc. Nannet.) — 36) cf. infr. Sess. XXV. de ref. c. 1.

iiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos[37]) vitam moresque suos omnes componere[38]), ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Quum igitur, quo maiore in ecclesia Dei et utilitate et ornamento haec sunt, ita etiam diligentius sint observanda, statuit sancta synodus, ut quae alias a summis Pontificibus et a sacris conciliis de clericorum vita, honestate, cultu doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, nec non saecularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis, vel maioribus arbitrio ordinarii imponendis observentur; nec appellatio exsecutionem hanc, quae ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, 181.
ea quam primum in usum revocari et ab omnibus accurate custodiri studeant; non obstantibus consuetudinibus quibuscunque, ne subditorum neglectae emendationis ipsi condignas Deo vindice poenas persolvant.

C. II. *Quinam ad cathedrales ecclesias assumendi.*

Quicunque posthac ad ecclesias cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, aetate[39]), moribus et vita ac aliis, quae a sacris canonibus requiruntur, plene sit praeditus, verum etiam in sacro ordine antea saltem sex mensium spatio constitutus. Quarum rerum instructio, si eius notitia nulla aut recens in curia fuerit, a sedis apostolicae legatis seu nunciis provinciarum, aut eius ordinario, eoque deficiente a vicinioribus ordinariis sumatur. Scientia vero praeter haec eiusmodi polleat, ut muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque antea in universitate studiorum magister, sive doctor aut licenciatus in sacra theologia vel iure canonico merito sit promotus, aut publico alicuius academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si regularis fuerit, a superioribus suae religionis similem fidem habeat. Praedicti autem omnes, unde instructio seu testificatio erit sumenda, haec fideliter et gratis referre teneantur; alioquin eorum conscientias graviter oneratas esse scient, ac Deum et superiores suos habebunt ultores.

Sess. XXII. 37) cf. c. 1. D. XXI. (Isid.) — 38) cf. tot. tit. de vita et hon. cler. apud Greg., in VIto et in Clem. (III. 1.) Sess. XXV. de ref. in pr. — 39) c. 5. D. LI. (conc. Tol. IV.) c. 7. X. de elect. I. 6. (conc. Lat. III. 19.) c. 19. ib. (Innoc. III.) Sess. VII. de ref. c. 1. Sess. XXIV. de ref. c. 1. et 12.

182. C. III. *Creandae distributiones quotidianae ex tertia parte quorumcunque fructuum; portio absentium quibus cedat; certi casus excepti.*

Episcopi, etiam tanquam delegati apostolici, ex fructibus et proventibus quibuscunque omnium dignitatum, personatuum et officiorum, in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis exsistentium, tertiam partem in distributiones[40]), eorum arbitrio assignandas, dividere possint, ut scilicet, qui eas obtinent, si personaliter competens sibi servitium iuxta formam ab eisdem episcopis praescribendam quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec eius quoquo modo dominium acquirant, sed fabricae ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio ordinarii applicetur. Crescente vero contumacia contra eos iuxta sacrorum canonum constitutiones procedant[41]). Quod si alicui ex praedictis dignitatibus in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis de iure seu consuetudine iurisdictio, administratio vel officium non competat, sed extra civitatem in dioecesi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit: tunc pro tempore, quo in curata ecclesia resederit ac ministraverit, tanquam praesens sit ac divinis intersit, in ecclesiis cathedralibus ac collegiatis habeatur. Haec in iis tantum ecclesiis constituta intelligantur, in quibus nulla est consuetudo vel statutum, ut dictae dignitates non servientes aliquid amittant, quod ad tertiam partem dictorum fructuum et proventuum adscendat; non obstantibus consuetu-
183. dinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus et constitutionibus, etiam iuramento et quavis auctoritate firmatis.

C. IV. *In ecclesia cathedrali vel collegiata sacro ordine non initiati vocem in capitulo non habeant. Qualitates et onera obtinentium beneficia in illis.*

Quicunque in cathedrali vel collegiata, saeculari vel regulari ecclesia, divinis mancipatus officiis, in subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmodi ecclesiis in capitulo non habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis libere fuerit concessum. Ii vero, qui dignitates, personatus, officia, praebendas, portiones ac quaelibet alia beneficia in dictis ecclesiis obtinent, aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet, ut alii missas, alii evangelium, alii epistolas dicant seu cantent, quocunque ii privilegio, exemptione, praerogativa, generis nobilitate sint insigniti, teneantur iusto impedimento cessante infra annum ordines suscipere requisitos; alioquin poenas incurrant iuxta constitutionem concilii Viennensis[42]), quae incipit: *Ut ii, qui*, quam praesenti decreto innovat. Cogantque episcopi eos diebus statutis dictos ordines per se ipsos exercere[43]), ac cetera omnia officia, quae debent, in cultu divino praestare, sub eisdem et aliis etiam gravioribus poenis, arbitrio eorum imponendis. Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui iam aetatem et ceteras habilitates integre habere dignoscantur; aliter irrita sit provisio.

Sess. XXII. 40) cf. Sess. XXI. de ref. c. 3. — 41) cf. Sess. XXI. c. cit. et loc. ibi alleg. n. 26. — 42) Clem. 2. de aet. et qual. et ord. praef. I. 6. et infr. inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas.

C. V. *Dispensationes extra curiam episcopo committantur et ab eo examinentur.* 184.

Dispensationes, quacunque auctoritate concedendae, si extra Romanam curiam committendae erunt, committantur ordinariis illorum, qui eas impetraverint; eae vero, quae gratiose concedentur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem, tanquam delegatis apostolicis, summarie tantum et extraiudicialiter cognoscantur, expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subiacere.

C. VI. *Circumspecte commutandae ultimae voluntates.*

In commutationibus ultimarum voluntatum, quae non nisi ex iusta et necessaria causa fieri debent[44]), episcopi, tanquam delegati sedis apostolicae, summarie et extraiudicialiter cognoscant, nihil in precibus tacita veritate vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes praedictae exsecutioni demandentur.

C. VII. *Innovatur cap. Romana de appellationibus in Sexto.*

Legati et nuncii apostolici, patriarchae ac primates et metropolitani, in appellationibus ad eos interpositis in quibusvis causis, tam in admittendis appellationibus quam in concedendis inhibitioni- 185.
bus post appellationem, servare teneantur formam et tenorem sacrarum constitutionum, et praesertim Innocentii IV.[45]), quae incipit: *Romana;* quacunque consuetudine, etiam immemorabili, aut stylo vel privilegio in contrarium non obstantibus. Aliter inhibitiones et processus et inde secuta quaecunque sint ipso iure nulla.

C. VIII. *Episcopi pias omnium dispositiones exsequantur; quaecunque pia loca visitent, dummodo non sub immediata regum protectione sint.*

Episcopi[46]), etiam tanquam sedis apostolicae delegati, in casibus a iure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate quam inter vivos sint exsecutores; habeant ius visitandi hospitalia, collegia quaecunque, ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas sive quocunque alio nomine vocant, (non tamen quae sub regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia,) eleemo-

Sess. XXII. 43) cf. Sess. XXIV. de ref. c. 12. — 44) cf. Sess. XXV. de ref. c. 4. — 45) c. 3. de app. in Vto II. 15. et infra l. c. — 46) cf. Clem. 2. de relig. dom. III. 11. (Clem. V.)

synas montis pietatis sive caritatis, et pia loca omnia, quomodocunque nuncupentur, etiamsi praedictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita; ac omnia, quae ad Dei cultum aut animarum salutem seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo iuxta sacrorum canonum statuta cognoscant[47]) et exsequantur, non obstantibus quacunque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio aut statuto.

186. C. IX. *Administratores quorumcunque piorum locorum reddant rationem ordinario, nisi aliter in fundatione sit cautum.*

Administratores tam ecclesiastici quam laici fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis[48]), confraternitatis, eleemosynae montis pietatis et quorumcunque piorum locorum[49]), singulis annis teneantur reddere rationem administrationis ordinario; consuetudinibus et privilegiis quibuscunque in contrarium sublatis, nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam ordinarius, et aliter factae liberationes dictis administratoribus minime suffragentur.

C. X. *Notarii episcoporum examini et iudicio subiaceant.*

Quum ex notariorum imperitia plurima damna et multarum occasio litium oriatur, possit episcopus quoscunque notarios, etiamsi apostolica, imperiali aut regia auctoritate creati fuerint, etiam tanquam delegatus sedis apostolicae, examinatione adhibita eorum sufficientiam scrutari, illisque non idoneis repertis, aut quandocun-
187. que in officio delinquentibus, officii eius in negotiis, litibus et causis ecclesiasticis ac spiritualibus exercendi usum perpetuo aut ad tempus prohibere. Neque eorum appellatio interdictionem ordinarii suspendat.

C. XI. *Bonorum cuiuscunque ecclesiae aut pii loci occupatores puniuntur.*

Si quem clericorum vel laicorum, quacunque is dignitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas[50]) occupaverit, ut alicuius ecclesiae, seu cuiusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census ac iura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascunque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacunque arte aut quo-

Sess. XXII. 47) cf. c. 3. (Greg. I.) c. 6. (conc. Mog.) c. 17. 19. (Greg. IX.) X. de test. et ult. vol. III. 26. — 48) cf. Sess. VII. de ref. c. 15. — 49) cf. Clem. cit. not. 46. Sess. XXV. c. 8. de ref. — 50) 1 Tim. VI. 10.

cunque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, ecclesiae eiusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem ecclesiae patronus fuerit, etiam iure patronatus ultra praedictas poenas eo ipso privatus exsistat. Clericus 188.
vero, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem poenis subiaceat, nec non quibuscunque beneficiis privatus sit, et ad quaecunque alia beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum ordinum exsecutione etiam post integram satisfactionem et absolutionem sui ordinarii arbitrio suspendatur.

DECRETUM SUPER PETITIONE CONCESSIONIS CALICIS.

Insuper, quum eadem sacrosancta synodus superiori sessione duos articulos alias propositos[51]), et tum nondum discussos, videlicet: An rationes, quibus sancta catholica ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una panis specie, ita sint retinendae, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus; et: an, si honestis et Christianae caritati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quaenam illae sint, in aliud tempus, oblata sibi occasione, examinandos atque definiendos reservaverit; nunc, eorum, pro quibus petitur, saluti optime consultum volens, decrevit, integrum negotium ad sanctissimum dominum nostrum esse referendum, prout praesenti decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile reipublicae Christianae, et salutare petentibus usum calicis fore iudicaverit.

Indictio futurae sessionis.

Insuper eadem sacrosancta Tridentina synodus diem futurae sessionis ad feriam quintam post octavam festivitatis omnium sanctorum, quae erit dies XII. mensis Novembris indicit, et in ea de- 189.
cernetur de sacramento ordinis, et de sacramento matrimonii etc.

Prorogata fuit sessio usque ad diem XV. *Iulii* MDLXIII.

Sess. XXII. 51) cf. Sess. XIII. in decr. prorog. et Sess. XXI. post can. 4.

SESSIO XXIII.

QUAE EST SEPTIMA

SUB PIO IV., PONTIFICE MAXIMO,

CELEBRATA

DIE XV. MENSIS IULII MDLXIII.

VERA ET CATHOLICA DOCTRINA DE SACRAMENTO ORDINIS,

AD CONDEMNANDOS ERRORES NOSTRI TEMPORIS A SANCTA SYNODO TRIDENTINA DECRETA, ET PUBLICATA SESSIONE SEPTIMA.

C. I. *De institutione sacerdotii novae legis.*

Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Quum igitur in novo testamento sanctum eucharistiae sacrificium visibile ex Domini institutione catholica ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est[1]. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem eius, nec non et peccata dimittendi et retinendi, sacrae literae ostendunt, et catholicae ecclesiae traditio semper docuit.

190. ### C. II. *De septem ordinibus.*

Quum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et maiori cum veneratione exerceri posset, ut in ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines[2], qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui iam clericali tonsura insigniti essent per minores ad maiores adscenderent[3]. Nam non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis sacrae literae apertam mentionem faciunt[4], et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt gravissimis verbis docent; et ab ipso ecclesiae initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistae, lectoris et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu; nam subdiaconatus ad maiores ordines a

Sess. XXIII. 1) Hebr. VII. 12. seqq. — 2) Matth. XVI. 19. Marc. XIV. 22 — 24. Luc. XXII. 19. seq. Ioan. XX. 22. seq. — 3) cf. infr. can. 2. — 4) Act. VI. 5. XXI. 8. 1 Tim. III. 8 — 10.

Patribus[5]) et sacris conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.

C. III. *Ordinem vere esse sacramentum.*

Quum scripturae testimonio, apostolica traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare 191.
nemo debet, ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctae ecclesiae sacramentis. Inquit enim Apostolus[6]): *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis et sobrietatis.*

C. IV. *De ecclesiastica hierarchia et ordinatione.*

Quoniam vero in sacramento ordinis[7]), sicut et in baptismo et confirmatione character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, merito sancta synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes Christianos promiscue novi testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam[8]), quae est ut castrorum acies ordinata[9]), confundere; perinde ac si contra beati Pauli[10]) doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetae, omnes Evangelistae, omnes pastores, omnes sint doctores. Proinde sacrosancta synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait[11]), a Spiritu sancto regere ecclesiam Dei; eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis[12]) conferre, ministros ecclesiae or- 192.
dinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. Docet insuper sacrosancta synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum et ceterorum ordinum, nec populi, nec cuiusvis saecularis potestatis et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio; quin potius decernit, eos, qui tantummodo a populo, aut saeculari potestate ac magistratu vocati et instituti, ad haec ministeria exercenda adscendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non ecclesiae

Sess. XXIII. 5) cf. e. gr. Cyprian. ep. 55. Tertull. de praescr. I. 41. c. 11. D. XXXII. (Urban. II.) c. 12. ib. (id. in syn. Melph.) c. 4. D. LX. (id.) c. 9. X. de aet. et qual. et ord. praefic. I. 14. (Innoc. III.) — 6) 2 Tim. I. 6. seq. — 7) cf. Sess. VII. de sacr. can. 9. et infr. can. 4. — 8) cf. infr. can. 6. — 9) Cant. VI. 3. 9. — 10) 1 Cor. XII. 28. seqq. Eph. IV. 11. — 11) Act. XX. 28. — 12) cf. Sess. VII. de confirm. can. 3.

ministros, sed fures et latrones[13]) per ostium non ingressos habendos esse. Haec sunt, quae generatim sacrae synodo visum est Christi fideles de sacramento ordinis docere. His autem contraria certis et propriis canonibus in hunc, qui sequitur, modum damnare constituit, ut omnes adiuvante Christo fidei regula utentes in tot errorum tenebris catholicam veritatem facilius agnoscere et tenere possint.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAN. I. Si quis dixerit[14]), non esse in novo testamento sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi[15]), sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi evangelium; vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes: anathema sit.

193. CAN. II. Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in ecclesia catholica alios ordines[16]), et maiores et minores, per quos velut per gradus quosdam[17]) in sacerdotium tendatur: anathema sit.

CAN. III. Si quis dixerit[18]), ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum: anathema sit.

CAN. IV. Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum; aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse: anathema sit.

CAN. V. Si quis dixerit, sacram unctionem, qua ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam et perniciosam esse, similiter et alias ordinis caeremonias: anathema sit.

CAN. VI. Si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris: anathema sit.

194. CAN. VII. Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis saecularis con-

---

Sess. XXIII. 13) Ioan. X. 1. — 14) cf. supr. c. 1. — 15) Matth. XVI. 19. Luc. XXII. 19. seq. — 16) cf. supr. c. 2. — 17) c. 2. (Zosim.) D. LXXVII. c. 3. ib. (Siric.) — infr. ead. de ref. c. 13. — 18) cf. supr. c. 3.

sensu aut vocatione irritos esse; aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros: anathema sit.

CAN. VIII. Si quis dixerit, episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos, sed figmentum humanum: anathema sit.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem sacrosancta Tridentina synodus, reformationis materiam prosequens, haec, quae sequuntur, in praesenti decernenda esse statuit et decernit.

C. I. *Rectorum ecclesiarum in residendo negligentia varie coercetur; animarum curae providetur.*

Quum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere[19]), pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et 195.
in cetera munia pastoralia incumbere, quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt[20]): sacrosancta synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum praeceptorum memores factique forma gregis[21]) in iudicio et veritate pascant et regant. Ne vero ea, quae de residentia sancte et utiliter iam antea sub fel. rec. Paulo III. sancita fuerunt[22]), in sensus a sacrosanctae synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceat, illis inhaerendo declarat sacrosancta synodus, omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis ac cathedralibus ecclesiis quibuscunque quocunque nomine et titulo praefectos, etiam si sanctae Romanae ecclesiae cardinales sint, obligari ad personalem in sua ecclesia vel dioecesi residentiam, ubi iniuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse, nisi ex causis et modis infra scriptis. Nam quum Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiae vel reipub. utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent et exigant, decernit eadem sacrosancta synodus, has legitimae absentiae causas a beatissimo Romano Pontifice, aut metropolitano, vel eo absente, suffraganeo episcopo antiquiori residente, qui idem metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas; nisi quum absentia inciderit propter aliquod munus et reipublicae officium

---

Sess. XXIII. 19) Ioan. X. 14. XXI. 15 — 17. — 20) Ioan. X. 12. 13. — 21) 1 Petr. V. 2. 3. — 22) cf. supr. Sess. VI. de ref. c. 1.

episcopatibus adiunctum, cuius quoniam causae sunt notoriae et interdum repentinae, ne eas quidem significari metropolitano necesse erit. Ad eundem tamen cum concilio provinciali spectabit, iudicare de licentiis a se vel a suffraganeo datis, et videre, ne quis
196. eo iure abutatur, et ut poenis canonicis errantes puniantur. Interea meminerint discessuri[23]), ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: sacrosancta synodus vult, illud absentiae spatium singulis annis, sive continuum sive interruptum, extra praedictas causas nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere, et haberi rationem, ut id aequa ex causa fiat et absque ullo gregis detrimento; quod an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit, quam sperat religiosam et timoratam fore, quum Deo corda pateant[24]), cuius opus non fraudulenter agere[25]) suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet et in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime et in Domino gaudere pastoris praesentia oves debeant, ipsi ab ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint[26]), nisi episcopalia munia in sua dioecesi eos alio vocent.

Si quis autem, quod utinam nunquam eveniat, contra huius decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta synodus, praeter alias poenas adversus non residentes sub Paulo III. impositas et innovatas[27]), ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiae fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri, aut ipso cessante, per superiorem ecclesiasticum, illos fabricae ecclesiarum aut pauperibus loci erogare, prohibita quacunque conventione vel compositione, quae pro fructibus male per-
197. ceptis appellatur, ex qua etiam praedicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur; non obstantibus quibuscunque privilegiis cuicunque collegio aut fabricae concessis.

Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et poenas de curatis inferioribus[28]) et aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, sacrosancta synodus declarat et decernit; ita tamen, ut, quandocunque eos causa prius per episcopum cognita et probata abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam ultra bimestre tempus nisi

Sess. XXIII. 23) cf. c. 34. de elect. in VIto I. 6. (Bonif. VIII.) — Sess. VI. de ref. c. 2. extr. — 24) Psalm. VII. 10. — 25) Ier. XLVIII. 10. — 26) cf. c. 29. C. VII qu. 1. (conc. Agath.) — 27) cf. Sess. VI. de ref. c. 1. — 28) ib. c. 2.

ex gravi causa non obtineant. Quod si, per edictum citati etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult ordinariis, per censuras ecclesiasticas, et sequestrationem et subtractionem fructuum, aliaque iuris remedia, etiam usque ad privationem, compellere, nec exsecutionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cuiuscunque beneficii, pactione, statuto, etiam iuramento vel quacunque auctoritate confirmato, consuetudine, etiam immemorabili, quae potius corruptela censenda est, sive appellatione aut inhibitione, etiam in Romana curia, vel vigore Eugenianae[29]) constitutionis suspendi posse. Postremo, tam decretum illud sub Paulo III.[30]), quam hoc ipsum in conciliis provincialibus et episcopalibus publicari sancta synodus praecipit; cupit enim quae adeo ex pastorum munere animarumque salute sunt frequenter omnium auribus mentibusque infigi, ut in posterum Deo iuvante nulla temporum iniuria aut hominum oblivione aut desuetudine aboleantur.

C. II. *Ecclesiis praefecti consecrationis munus intra tres menses suscipiant; consecratio quo loco peragenda.* 198.

Ecclesiis cathedralibus seu superioribus quocunque nomine ac titulo praefecti, etiamsi sanctae Romanae ecclesiae cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses[31]) non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur; si intra totidem menses postea id facere neglexerint, ecclesiis ipso iure sint privati. Consecratio vero, si extra curiam Romanam fiat, in ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur.

C. III. *Episcopi extra aegritudinem per se ordines conferant.*

Episcopi per semetipsos ordines conferant. Quod si aegritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quam iam probatos[32]) et examinatos ad alium episcopum ordinandos dimittant.

C. IV. *Qui prima tonsura initiandi.*

Prima tonsura non initientur[33]) qui sacramentum confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique le- 199.
gere et scribere nesciant, et de quibus probabilis coniectura non sit, eos non saecularis iudicii fugiendi fraude, sed, ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.

Sess. XXIII. 29) c. 3. de priv. in Extr. com. V. 7. et infra inter const. ex antiqu. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 30) Sess. VI. de ref. c. 1. — 31) cf. c. 2. D. LXXV. (conc. Chalc.) c. 1. D. C. (conc. Ravenn.) supr. Sess. VII. de ref. c. 9. — 32) cf. infr. c. 8. et 10. — 33) cf. c. 4. de temp. ord. in VIto I. 9. Bonif. VIII.

C. V. *Ordinandi quibus instructi esse debeant.*

Ad minores ordines promovendi bonum a parocho et a magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos maiores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus[34]), aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et literas testimoniales[35]), ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum episcopum quam primum transmittat.

C. VI. *Aetas quatuordecim annorum ad beneficium ecclesiasticum requiritur; quis privilegio fori gaudere debeat.*

Nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere[36]). Is etiam fori privilegio non gaudeat[37]), nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram defe-
200. rens alicui ecclesiae ex mandato episcopi inserviat, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola vel universitate de licentia episcopi quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versetur. In clericis vero coniugatis servetur constitutio Bonifacii VIII.[38]), quae incipit: *Clerici, qui cum unicis*, modo hi clerici, alicuius ecclesiae servitio vel ministerio ab episcopo deputati, eidem ecclesiae serviant vel ministrent, et clericali habitu et tonsura utantur; nemini quoad hoc privilegio vel consuetudine, etiam immemorabili, suffragante.

C. VII. *Examinandi sunt ordinandi a viris peritis iuris divini et humani.*

Sancta synodus antiquorum canonum[39]) vestigiis inhaerendo decernit, ut, quando episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem sacerdotibus et aliis prudentibus viris peritis divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem[40]) diligenter investiget et examinet.

Sess. XXIII. 34) cf. 5. D. XXIV. (conc. Nannet.) — 35) cf. infr. c. 7. — 36) cf. c. 3. X. de aet. et qual. et ord. praef. I. 14. (Alex. III.) — 37) c. 7. X. de cler. coning. III. 3. (Innoc. III.) — 38) c. un. h. t. in VIto III. 2. et infra inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 39) cf. c. 5. D. XXIV. (conc. Nannet.) — 40) cf. supr. c. 5.

C. VIII. *Quomodo et a quo unusquisque promoveri debeat.*

Ordinationes sacrorum ordinum statutis a iure temporibus[41]) ac in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque ad id ecclesiae ca- 201.
nonicis, publice celebrentur; si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur. Unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur[42]). Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendentur[43]). Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus.

C. IX. *Episcopus familiarem ordinans conferat statim beneficium re ipsa.*

Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium[44]) quacunque fraude cessante statim re ipsa illi conferat; consuetudine quacunque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante.

C. X. *Episcopis inferiores praelati tonsuram vel minores ordines ne conferant, nisi regularibus sibi subditis; nec ipsi, aut capitula quaecunque dimissorias concedant; graviori in decretum peccantibus poena statuta.*

Abbatibus ac aliis quibuscunque quantumvis exemptis non liceat 202.
in posterum intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiam si nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre; nec ipsi abbates et alii exempti, aut collegia vel capitula quaecunque, etiam ecclesiarum cathedralium, literas dimissorias aliquibus clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in huius sanctae synodi decretis continentur[45]), ad episcopos, intra quorum dioecesis fines exsistant, pertineat; non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Poenam quoque impositam iis, qui contra huius sanctae synodi sub Paulo III. decretum[46]) a capitulo episcopali sede vacante literas

---

Sess. XXIII. 41) cf. c. 7. D. LXXV. (Gelas.) c. 1. 2. 3. X. de temp. ord. I. 11. (Alex. III.) — 42) cf. c. 1. D. LXXI. (conc. Sard.) c. 2. ib. (Innoc. I.) c. 3. ib. (conc. Nic.) c. 4. ib. (conc. Chalc.) c. 2. D. LXXII. (conc. Carth. III.) c. 6. seq. C. IX. qu. 2. (conc. Antioch.) c. 9. ead. (conc. Const. I.) c. 10. ead. (Urb. II.) c. 1. de temp. ord. in VIto I. 9. (Clem. IV.) c. 2. ib. (conc. Lugd. I.) — 43) cf. Sess. XIV. de ref. c. 2 et 3. — 44) cf. c. 2. X. de praeb. III. 5. (Epit. Nov. Iul.). — 45) cf. Sess. ead. c. 5. 6. 11. 12. — 46) Sess. VII. c. 10. de ref.

dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem literas non a capitulo, sed ab aliis quibusvis, in iurisdictione episcopi loco capituli sede vacante succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam decreti ab officio et beneficio per annum sint ipso iure suspensi.

C. XI. *Interstitia in susceptione minorum ordinum, et certa alia praecepta observanda.*

Minores ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum interstitia[47]), nisi aliud episcopo expedire magis videretur, conferantur, ut eo accuratius quantum sit huius disciplinae pondus possint edoceri, ac in unoquoque munere iuxta praescriptum
203. episcopi se exerceant[48]), idque in ea, cui adscripti erunt, ecclesia, (nisi forte ex causa studiorum absint), atque ita de gradu in gradum adscendant, ut in iis cum aetate vitae meritum et doctrina maior accrescat, quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in ecclesia ministerium, atque maior erga presbyteros et superiores ordines reverentia, et crebrior, quam antea, corporis Christi communio maxime comprobabunt. Quumque hinc ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiae spes maioribus ordinibus dignum ostendat[49]). Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut ecclesiae utilitas iudicio episcopi aliud exposcat.

C. XII. *Aetas ad maiores ordines requisita; digni duntaxat assumendi.*

Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur[50]). Sciant tamen episcopi, non singulos in ea aetate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos duntaxat, et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori aetate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur; privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis.

204. C. XIII. *Subdiaconi et diaconi ordinatio qualis, et eorum munus; nulli ordines sacri duo conferantur eodem die.*

Subdiaconi et diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium[51]), et in minoribus ordinibus iam probati, ac literis et iis, quae ad ordinem exercendum pertinent, instructi. Qui sperent Deo auctore se continere posse[52]), ecclesiis, quibus adscribentur, inserviant,

Sess. XXIII. 47) cf. l. l. n. 16. et infr. c. 13. — 48) cf. infr. c. 17. — c. 3. D. LIX. (Greg. I.) — 49) c. 1. 2. D. LIX. (Zosim.) c. 4. ib. (Coelest.) — 50) Clem. ult. de aet. et qual. et ord. praef. I. 6. (Clem. V.) — 51) 1 Tim. III. 7. — cf. c. 3. D. LXXVII. (Siric.) — 52) cf. c. 1. D. XXVIII. (Greg. I.)

sciantque maxime decere, si saltem diebus dominicis et solennibus, quum altari ministraverint, sacram communionem perceperint. Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati[53]), ad altiorem gradum, nisi aliud episcopo videatur, adscendere non permittantur. Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus, conferantur[54]); privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscunque.

C. XIV. *Quinam ad presbyteratum assumendi; assumptorum munus.*

Qui pie et fideliter in ministeriis ante actis se gesserint, et ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium[55]), et hi sint, qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur, 205.
ministraverint, sed etiam ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem ac administranda sacramenta, diligenti examine praecedente idonei comprobentur, atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab eis possint exspectari. Curet episcopus, ut ii saltem diebus dominicis et festis solennibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent. Cum promotis per saltum[56]), si non ministraverint, episcopus ex legitima causa possit dispensare.

C. XV. *Nullus confessiones audiat, nisi ab ordinario approbatus.*

Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur[57]), et approbationem, quae gratis detur, obtineat; privilegiis et consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.

C. XVI. *Arcentur ab ordinibus ecclesiis inutiles et vagi.*

Quum nullus debeat ordinari, qui iudicio sui episcopi non sit utilis 206.
aut necessarius suis ecclesiis, sancta synodus, vestigiis sexti canonis concilii Chalcedonensis inhaerendo[58]), statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis funga-

Sess. XXIII. 53) supr. c. 11. — 54) cf. c. 11. 15. X. de temp. ord. I. 11. (Innoc. III.) — 55) 1 Tim. III. 7. — c. 3. D. LXXVII. (Siric.) — 56) cf. c. un. D. LII. (Alex. II.) — 57) cf. c. 2. de poenit. in VIto V. 10. (Bonif. VIII.) Clem. 2. de sepult. III. 7. (Bonif. VIII.) — 58) cf. c. 1. D. LXX. et infr. inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas.

tur muneribus, nec incertis vagetur sedibus[59]). Quod si locum inconsulto episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur. Nullus praeterea clericus peregrinus sine commendatitiis sui ordinarii literis ab ullo episcopo ad divina celebranda et sacramenta administranda admittatur[60]).

C. XVII. *Qua ratione exercitia minorum ordinum repetenda.*

Ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones, ab Apostolorum temporibus in ecclesia laudabiliter receptae, et pluribus in locis aliquamdiu intermissae, in usum iuxta sacros canones revocentur[61]), nec ab haereticis tanquam otiosae traducantur, illius pristini moris restituendi desiderio flagrans sancta synodus decernit, ut in posterum huiuscemodi ministeria non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur, omnesque et singulos praelatos ecclesiarum in Domino hortatur, et illis praecipit, ut quantum fieri commode poterit, in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et parochialibus suae dioecesis, si populus frequens et ecclesiae proventus id ferre queant, huiusmodi functiones curent restituendas, et
207. ex aliqua parte redituum aliquorum simplicium beneficiorum vel fabricae ecclesiae, si proventus suppetant, aut utriusque illorum, eas functiones exercentibus stipendia assignent; quibus, si negligentes fuerint, ordinarii iudicio aut ex parte mulctari aut in totum privari possint. Quod si ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici caelibes praesto non erunt, suffici possint etiam coniugati vitae probatae, dummodo non bigami[62]), ad ea munia obeunda idonei, et qui tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestent.

C. XVIII. *Forma erigendi seminarium clericorum, praesertim tenuiorum; in cuius erectione plurima observanda; de educatione promovendorum in cathedralibus et maioribus ecclesiis.*

Quum adolescentium aetas[63]), nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et, nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret: sancta synodus statuit, ut singulae cathedrales[64]), metropolitanae, atque his maiores ecclesiae, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine certum puerorum ipsius civitatis et dioecesis, vel

Sess. XXIII. 59) cf. c. ult. D. LXX. (conc. Placent.) — 60) cf. c. 6. D. LXXI. (conc. Carth. I.) c. 9. ib. (conc. Antioch.) et al. — 61) cf. c. 16 — 20. D. XXIII. (conc. Carth. IV. sive Stat. eccl. ant.) — supr. c. 11. — 62) cf. tot. tit. X. de big. non ord. I. 21. — 63) Gen. VIII. 21. — cf. c. 1. C. XII. qu. 1. (conc. Tol. IV.) — 64) cf. Sess. V. de ref. c. 1.

eius provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas ecclesias vel alio in loco convenienti ab episcopo eligendo, alere, ac religiose educare et ecclesiasticis disciplinis in- 208.
stituere teneantur. In hoc vero collegio recipiantur qui ad minimum duodecim annos et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios praecipue eligi vult; nec tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur, et studium prae se ferant Deo et ecclesiae inserviendi. Hos pueros episcopus in tot classes, quot ei videbitur, divisos iuxta eorum numerum, aetatem ac in disciplina ecclesiastica progressum, partim, quum ei opportunum videbitur, ecclesiarum ministerio addicet, partim in collegio erudiendos retinebit; aliosque in locum eductorum sufficiet, ita ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum seminarium sit. Ut vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim atque habitu clericali semper utentur; grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent, sacram scripturam, libros ecclesiasticos, homilias sanctorum, atque sacramentorum tradendorum, maxime quae ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, et rituum ac caeremoniarum formas ediscent. Curet episcopus, ut singulis diebus missae sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, et iuxta confessoris iudicium sumant corpus Domini nostri Iesu Christi; cathedrali et aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant. Quae omnia atque alia, ad hanc rem opportuna et necessaria, episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus sanctus suggesserit, constituent; eaque ut semper observentur saepius visitando operam dabunt. Dyscolos, et incorrigibiles ac malorum morum seminatores acriter punient, eos etiam, si opus fuerit, expellendo, omniaque impedimenta auferentes, quaecunque ad conservandum et augendum tam pium et sanctum institutum pertinere vide- 209.
buntur diligenter curabunt. Et quia ad collegii fabricam instituendam et ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, et ad alendam iuventutem, et ad alios sumptus certi reditus erunt necessarii, ultra ea, quae ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus ecclesiis et locis destinata, quae eo ipso huic seminario sub eadem episcopi cura applicata censeantur, iidem episcopi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur, itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad episcopum, alterius vero ad clerum pertineat, ex fructibus integris mensae episcopalis, et capituli, et quarumcunque dignitatum, personatuum, officiorum, praebendarum, portionum, abbatiarum et prioratuum, cuiuscunque ordinis, etiam regularis, aut qualitatis vel conditionis fuerint, et hospitalium, quae dantur in titulum vel administrationem, iuxta constitu-

tionem concilii Viennensis[65]), quae incipit: *Quia contingit*, et beneficiorum quorumcunque, etiam regularium, etiam si iuris patronatus cuiuscunque fuerint, etiam si exempta, etiam si nullius dioecesis, vel aliis ecclesiis, monasteriis et hospitalibus, et aliis quibusve locis piis, etiam exemptis, annexa, et ex fabricis ecclesiarum et aliorum locorum, etiam ex quibuscunque aliis ecclesiasticis reditibus seu proventibus, etiam aliorum collegiorum, in quibus tamen seminaria discentium vel docentium ad commune ecclesiae bonum promovendum actu non habentur (haec enim exempta esse voluit) praeterquam ratione redituum, qui superflui essent ultra convenientem ipsorum seminariorum sustentationem, seu cor-
210. porum vel confraternitatum, quae in nonnulliis locis scholae appellantur, et omnium monasteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacunque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solvi solent, et milites cuiuscunque militiae aut ordinis pertinentibus, fratribus S. Ioannis Hierosolymitani duntaxat exceptis, partem aliquam vel portionem detrahent; et eam portionem sic detractam, nec non beneficia aliquot simplicia, cuiuscunque qualitatis et dignitatis fuerint, vel etiam praestimonia vel praestimoniales portiones, etiam ante vacationem nuncupatas, sine cultus divini et illa obtinentium praeiudicio huic collegio applicabunt et incorporabunt. Quod locum habeat etiam si beneficia sint reservata vel affecta; nec per resignationem ipsorum beneficiorum uniones et applicationes suspendi vel ullo modo impediri possint, sed omnino quacunque vacatione, etiam si in curia effectum suum sortiantur, et quacunque constitutione non obstante. Ad hanc autem portionem solvendam beneficiorum, dignitatum, personatuum, et omnium et singulorum supra commemoratorum possessores, non modo pro se, sed pro pensionibus, quas aliis forsan ex dictis fructibus solverent, retinendo tamen pro rata quicquid pro dictis pensionibus illis erit solvendum, ab episcopo loci per censuras ecclesiasticas ac alia iuris remedia compellantur, etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio brachii saecularis; quibusvis, quoad omnia et singula supra dicta privilegiis, exemptionibus, etiam si specialem derogationem requirerent, consuetudine, etiam immemorabili, quavis appellatione et allegatione, quae exsecutionem impediat, non obstantibus. Succedente vere casu, quo per uniones effectum suum sortientes vel aliter seminarium ipsum in totum vel in partem dotatum reperiatur, tunc portio ex singulis beneficiis, ut supra, detracta et incorporata ab episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum vel pro parte remittatur. Quod si cathedralium et aliarum maiorum ecclesiarum praelati in hac seminarii erectione eiusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint,

Sess XXIII. 65) Clem. 2. de relig. dom. III. 11 — cf. Sess. VII. c. 15. de ref.

episcopum archiepiscopus, archiepiscopum et superiores synodus 211.
provincialis acriter corripere, eosque ad omnia supra dicta cogere debeat, et ut quam primum hoc sanctum et pium opus, ubicunque fieri poterit, promoveatur, studiose curabit. Rationes autem redituum huius seminarii episcopus annis singulis accipiat, praesentibus duobus a capitulo, et totidem a clero civitatis deputatis.

Deinde, ut cum minori impensa huiusmodi scholis instituendis provideatur[66]), statuit sancta synodus, ut episcopi, archiepiscopi, primates et alii locorum ordinarii, scholasterias obtinentes, et alios, quibus est lectionis vel doctrinae munus annexum, ad docendum in ipsis scholis instituendos per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneos substitutos ab eisdem scholasticis eligendos et ab ordinariis approbandos, etiam per subtractionem fructuum, cogant et compellant. Quod si iudicio episcopi digni non fuerint, alium, qui dignus sit, nominent, omni appellatione remota. Quod si neglexerint, episcopus ipse deputet. Docebunt autem praedicti quae videbuntur episcopo expedire. De cetero vero officia vel dignitates illae, quae scholasteriae dicuntur, non nisi doctoribus vel magistris aut licentiatis in sacra pagina aut in iure canonico, et aliis personis idoneis, et qui per se ipsos id munus explere possint, conferantur, et aliter facta provisio nulla sit et invalida; non obstantibus quibusvis privilegiis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Si vero in aliqua provincia ecclesiae tanta paupertate laborent, ut collegium in aliquibus erigi non possit, synodus provincialis, vel metropolitanus cum duobus antiquioribus suffraganeis in ecclesia metropolitana, vel alia provinciae ecclesia commodiori, unum aut plura collegia, prout opportunum iudicabit, ex fructibus duarum aut plurium ecclesiarum, in quibus singulis collegium commode institui non potest, erigenda curabit, ubi pueri illarum ecclesiarum 212.
educentur.

In ecclesiis autem amplas dioeceses habentibus possit episcopus unum vel plura in dioecesi, prout sibi opportunum videbitur, habere seminaria; quae tamen ab illo uno, quod in civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependeant.

Postremo, si vel pro unionibus, seu pro portionum taxatione, vel assignatione et incorporatione, aut qualibet alia ratione difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam huius seminarii institutio vel conservatio impediretur aut perturbaretur, episcopus cum supra deputatis, vel synodus provincialis, pro regionis more, pro ecclesiarum et beneficiorum qualitate, etiam supra scripta, si opus fuerit, moderando aut augendo, omnia et singula, quae ad felicem huius seminarii profectum necessaria et opportuna videbuntur, decernere ac providere valeat.

Sess. XXIII. 66) cf. Sess. V. c. 1. de ref.

Indictio futurae sessionis.

Insuper eadem sacrosancta Tridentina synodus proximam futuram sessionem in diem decimam sextam mensis Septembris indicit, in qua agetur de sacramento matrimonii, et de aliis, si qua erunt ad doctrinam fidei pertinentia, quae expediri possint; item de provisionibus episcopatuum, dignitatum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, ac de diversis reformationis articulis.

Prorogata fuit sessio usque ad diem XI. Nov. MDLXIII.

---

213. # SESSIO XXIV.

QUAE EST OCTAVA SUB PIO IV., PONTIFICE MAXIMO, CELEBRATA

DIE XI. MENSIS NOVEMBRIS MDLXIII.

DOCTRINA DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, quum dixit[1]): *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una.*

Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et coniungi, Christus Dominus apertius docuit, quum postrema illa verba tanquam a Deo prolata referens dixit[2]): *Itaque iam non sunt duo, sed una caro,* statimque eiusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronunciatam his verbis confirmavit[3]): *Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.*

Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit dicens[4]): *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea;* mox subiungens[5]): *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in ecclesia.*

Sess. XXIV. 1) Gen. II. 23. seq. Matth. XIX. 4. seqq. Marc. X. 6. seqq. Eph. V. 29 — 31. — 2) Matth. XIX. 6. et Marc. X. 8. — 3) Matth. ib. Marc. ib. 9. — 4) Eph. V. 25. — 5) Eph. ib. 32.

Quum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet, merito inter novae legis sacramenta annumerandum, sancti Patres nostri, concilia[6]) et universalis ecclesiae traditio semper docuerunt; adversus quam impii homines huius saeculi insanientes non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt, sed de more suo praetextu evangelii libertatem carnis introducentes, multa ab ecclesiae catholicae sensu et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena scripto et verbo asseruerunt non sine magna Christi fidelium iactura; quorum temeritati sancta et universalis synodus cupiens occurrere, insigniores praedictorum schismaticorum haereses et errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos haereticos eorumque errores decernens anathematismos. 214.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAN. I. Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum[7]), sed ab hominibus in ecclesia inventum, neque gratiam conferre: anathema sit.

CAN. II. Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores[8]), et hoc nulla lege divina esse prohibitum: anathema sit.

CAN. III. Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur[9]), posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum; nec posse ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant: anathema sit. 215.

CAN. IV. Si quis dixerit, ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia[10]), vel in iis constituendis errasse: anathema sit.

CAN. V. Si quis dixerit, propter haeresim[11]), aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum: anathema sit.

CAN. VI. Si quis dixerit, matrimonium ratum[12]) non consummatum per solennem religionis professionem alterius coniugum non dirimi: anathema sit.

CAN. VII. Si quis dixerit, ecclesiam errare, quum docuit et docet iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam[13]), propter

---

Sess. XXIV. 6) cf. conc. Flor. decr. Eugen. ad Armen. — 7) cf. l. l. not. 1. — 8) Matth. XIX. 4 — 6. 9. — 9) Levit. XVIII. 6. seqq. — 10) Matth. XVI. 19. — 11) cf. c. 6. (Urb. III.) c. 7. (Innoc. III.) X. de div. IV. 19. c. 4. X. de consang. IV. 14. (Innoc. III.) — 12) cf. c. 16. X. de spons. IV. 1. (Alex. III.) — 13) Matth. XIX. 9. Luc. XVI. 18. 1 Cor. VII. 11. — cf. e. gr. c. 5. (conc. Milev.) c. 6. (August.) c. 7. (Hieron.) c. 8. (conc. Elib.) c. 10. (Aug.) C. XXXII. qu. 7.

adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio
216. non dedit, non posse altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere; moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit: anathema sit.

CAN. VIII. Si quis dixerit, ecclesiam errare, quum ob multas causas separationem inter coniuges quoad thorum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit: anathema sit.

CAN. IX. Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto; et oppositum nil aliud esse quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam voverint, habere donum: anathema sit, quum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari[14]).

CAN. X. Si quis dixerit, statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis[15]) vel caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu, quam iungi matrimonio: anathema sit.

CAN. XI. Si quis dixerit, prohibitionem solennitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam[16])
217. ab ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones et alias caeremonias, quibus ecclesia in illis utitur, damnaverit: anathema sit.

CAN. XII. Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos: anathema sit.

DECRETUM DE REFORMATIONE MARTIMONII.

C. I. *Matrimonii solemniter contrahendi forma in concilio Lateranensi praescripta innovatur; quoad proclamationes dispensare possit episcopus. Qui aliter quam praesentibus parocho et duobus vel tribus testibus contrahit, nihil agit.*

Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia[17]), quamdiu ecclesia ea irrita non fecit; et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos S. synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia, a filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita

Sess. XXIV. 14) 1 Cor. X. 13. — 15) Matth. XIX. 11. seq. 1 Cor. VII. 25. 26. 38. 40. — 16) cf. infr. c. 10. de ref. matr. — 17) cf. c. 2. X. de cland. desp. IV. 3. (Alex. III.)

facere posse: nihilominus sancta Dei ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est[18]) atque prohibuit. Verum, quum sancta synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse, et gravia peccata perpendat, quae ex 218.
eisdem clandestinis coniugiis ortum habent, praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt, cui malo quum ab ecclesia, quae de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcirco sacri Lateranensis concilii[19]) sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhaerendo praecipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solennia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum; quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiae procedatur, ubi parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, vel aliis utatur verbis, iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire iudicaverit, ut praedictae denunciationes remittantur, quod illius prudentiae et iudicio sancta synodus relinquit. Qui aliter, quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, 219.
prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. Insuper parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes, qui sine parocho vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio ordinarii puniri praecipit. Praeterea eadem sancta synodus hortatur, ut coniuges ante benedictionem[20]) sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent; statuitque benedictionem a proprio parocho fieri, neque a quoquam, nisi ab ipso parocho vel ab ordi-

Sess. XXIV. 18) cf. c. 3. C. XXX. qu. 5. (Nicol. I.) c. 13. C. XXXII. qu. 2. (Ambros). c. 2. C. XXXV. qu. 6. et c. 3. X. qui matr. accus. poss. IV. 18. (Coelest. III.) — 19) c. 3. X. de cland. desp. IV. 3. et infr. inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 20) cf. c. 2. (Cap. Reg. Fr.) c. 3. (Nicol. I.) c. 5. (Stat. eccl. ant.) C. XXX. qu. 5. c. 19. C. XXXV. qu. 2 et 3. (Cap. Reg. Fr.)

nario licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse; quacunque consuetudine, etiam immemorabili, quae potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Habeat parochus librum, in quo coniugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat. Postremo sancta synodus coniuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimum eucharistiae sacramentum pie accedant. Si quae provinciae aliis ultra praedictas laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri sancta synodus vehementer optat. Ne vero haec tam salubria praecepta quemquam lateant, ordinariis omnibus praecipit, ut, quum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis, idque in
220. primo anno quam saepissime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos.

C. II. *Inter quos cognatio spiritualis contrahatur.*

Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta synodus huic incommodo providere, et a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir sive mulier, iuxta sacrorum canonum instituta[21]), vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab eis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint,

Sess. XXIV. 21) cf. c. 101. D. IV. de cons. (cap. incert.) c. 3. de cogn. spir. in VIto IV. 3. (Bonif. VIII.)

cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus †) non obstantibus. Si parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio ordinarii puniatur. Ea 221.
quoque cognatio[22]), quae ex confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egrediatur; omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.

C. III. *Publicae honestatis impedimentum certis limitibus coarctatur.*

Iustitiae publicae honestatis impedimentum[23]), ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, sancta synodus prorsus tollit. Ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus iam non potest huiusmodi prohibitio absque dispendio observari.

C. IV. *Affinitas ex fornicatione ad secundum gradum restringitur.*

Praeterea sancta synodus, eisdem et aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum[24]), quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo et secundo gradu coniunguntur, restringit; in ulterioribus vero gradibus statuit, huiusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.

C. V. *Ne quis intra gradus prohibitos contrahat; quave ratione in illis dispensandum.* 222.

Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit[25]), separetur, et spe dispensationis consequendae careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solennitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subiiciatur poenis; non enim dignus est qui ecclesiae benignitatem facile experiatur, cuius salubria praecepta temere contempsit. Si vero solennitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo et gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino

Sess. XXIV. †) cf. c. 2. (Zachar.) c. 5. (Paschal. II.) c. XXX. qu. 3. c. 3. X. de cogn. spir. IV. 11. (Alex. III.) c. 1. h. t. in VIto IV. 3. (Bonif. VIII.) — 22) cf. c. 2. C. XXX. qu. 1. (conc. Comp.) c. 1. de cogn. spir. in VIto (Bonif. VIII.) — 23) c. un. de spons. in VIto IV. 1. (Bonif. VIII.) — 24) cf. c. 19. (conc. Comp.) c. 20. (conc. Mog.) c. 21. (conc. Vermer.) c. 22. (cap. inc.) c. 23. (Burch. Worm.) c. 24. (conc. Vermer.) C. XXXII. qu. 7. et tot. tit. X. de eo, qui cognov. consang. IV. 13. — 25) cf. c. 3. X. de cland. desp. IV. 3. (conc. Lat. IV.) Clem. un. de consang. IV. un. (conc. Vienn.)

226. C. I. *Norma procedendi ad creationem episcoporum et cardinalium.*

Si in quibuslibet ecclesiae gradibus providenter scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum nihilque praeposterum, multo magis elaborandum, ut in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totius familiae Domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore non inveniatur in capite. Unde, etsi alias[33]) sancta synodus de promovendis ad cathedrales et superiores ecclesias nonnulla utiliter decrevit, hoc tamen munus huiusmodi esse censet, ut, si pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis cautum de eo videri possit. Itaque statuit, ut, quum primum ecclesia vacaverit, supplicationes ac preces publice privatimque habeantur, atque a capitulo per civitatem et dioecesim indicantur, quibus clerus populusque bonum a Deo pastorem valeat impetrare. Omnes vero et singulos, qui ad promotionem praeficiendorum quodcunque ius quacunque ratione a sede apostolica habent, aut alioquin operam suam praestant, nihil in iis pro praesenti temporum ratione innovando, hortatur et monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores et ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, non quidem precibus vel humano affectu aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, praefici diligenter curaverint; et quos ex legitimo ma-
227. trimonio natos, et vita, aetate, doctrina atque aliis omnibus qualitatibus praeditos sciant, quae iuxta sacros canones et Tridentinae huius synodi decreta requiruntur[34]). Quoniam vero in sumendo de praedictis omnibus qualitatibus gravi idoneoque bonorum et doctorum virorum testimonio non uniformis ratio ubique ex nationum, populorum ac morum varietate potest adhiberi, mandat sancta synodus, ut in provinciali synodo per metropolitanum habenda praescribatur quibusque locis et provinciis propria examinis, seu inquisitionis, aut instructionis faciendae forma, sanctissimi Romani Pontificis arbitrio approbanda, quae magis eisdem locis utilis atque opportuna esse videbitur; ita tamen, ut, quum deinde hoc examen seu inquisitio de persona promovenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta cum toto testimonio ac professione fidei ab eo facta[35]) quamprimum ad sanctissimum Romanum Pontificem omnino transmittatur, ut ipse summus Pontifex, plena totius negotii ac personarum notitia habita, pro gregis dominici commodo de

Sess. XXIV. 33) cf. Sess. VI. de ref. c. 1. Sess. VII. de ref. c. 1. et 3. Sess. XXII. de ref. c. 2. — 34) cf. ead. conc. Trid. cap. cum can. alleg. — 35) cf. bullam Pii IV. In sacrosancta, infra inter doc. ad conc. Trid. spect.

illis, si idonei per examen seu per inquisitionem factam reperti fuerint, ecclesiis possit utilius providere. Omnes vero inquisitiones, informationes, testimonia ac probationes quaecunque, de promovendi qualitatibus et ecclesiae statu a quibuscunque, etiam in Romana curia, habitae, per cardinalem, qui relationem facturus erit in consistorio, et alios tres cardinales diligenter examinentur, ac relatio ipsa cardinalis relatoris et trium cardinalium subscriptione roboretur, in qua ipsi singuli quatuor cardinales affirment, se adhibita accurata diligentia invenisse promovendos qualitatibus a iure et ab hac sancta synodo requisitis[36]) praeditos, ac certo existimare sub periculo salutis aeternae, idoneos esse qui ecclesiis praeficiantur; ita ut relatione in uno consistorio facta, quo maturius interea 228.
de ipsa inquisitione cognosci possit, in aliud consistorium iudicium differatur, nisi aliud beatissimo Pontifici videbitur expedire. Ea vero omnia et singula, quae de episcoporum praeficiendorum vita, aetate, doctrina et ceteris qualitatibus alias in eadem synodo constituta sunt, decernit eadem, etiam in creatione sanctae Romanae ecclesiae cardinalium, etiam si diaconi sint, exigenda, quos sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos repererit, assumet. Postremo eadem sancta synodus, tot gravissimis ecclesiae incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis ecclesiae Dei esse necessarium, quam ut beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universae ecclesiae ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, ut lectissimos tantum sibi cardinales adsciscat, et bonos maxime atque idoneos pastores singulis ecclesiis praeficiat, idque eo magis, quod ovium Christi sanguinem, quae ex malo negligentium et sui officii immemorum pastorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus de manibus eius sit requisiturus.

C. II. *Synodi provinciales quolibet triennio, dioecesanae quotannis celebrentur; qui eas cogere, quive illis interesse debeant.*

Provincialia concilia[37]), sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis[38]), aliis- 229.
que ex sacris canonibus permissis renoventur. Quare metropolitani per se ipsos, seu, illis legitime impeditis, coepiscopus antiquior intra annum ad minus a fine praesentis concilii, et deinde quolibet saltem triennio post octavam Paschae Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, seu alio commodiori tempore pro more provinciae, non praetermittat synodum in provincia sua cogere; quo

Sess. XXIV. 36) cf. supra not. 33. — 37) cf. c. 2. (Leo. I.) 3. (conc. Nic.) 4. (conc. Antioch.) 5. (conc. Laod.) 6. (conc. Chalc.) 7. (synod. Nic. II.) c. 9. (Stat. eccl. ant.) c. 10. (conc. Carth. V.) c. 12. (conc. Arel.) c. 13. (conc. Agath.) c. 14. (conc. Tarrac.) D. XVIII. et al. — 38) cf. c. 25. X. de accus. V. 1. (Innoc. III.)

episcopi omnes, et alii, qui de iure vel consuetudine interesse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur. Nec episcopi comprovinciales praetextu cuiuslibet consuetudinis ad metropolitanam ecclesiam in posterum accedere inviti compellantur. Itidem episcopi, qui nulli archiepiscopo subiiciuntur, aliquem vicinum metropolitanum semel eligant, in cuius synodo provinciali cum aliis interesse debeant, et quae ibi ordinata fuerint observent ac observari faciant. In reliquis omnibus eorum exemptio et privilegia salva atque integra maneant. Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur[39]); ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, synodo interesse. Quod si in his tam metropolitani quam episcopi et alii supra scripti negligentes fuerint, poenas sacris canonibus sancitas[40]) incurrant.

230. C. III. *Qua ratione visitatio per praelatos facienda.*

Patriarchae, primates, metropolitani et episcopi propriam dioecesim per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint[41]), per suum generalem vicarium aut visitatorem, si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen, ut tota biennio per se vel visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant. A metropolitanis vero, etiam post plene visitatam propriam dioecesim, non visitentur cathedrales ecclesiae, neque dioeceses suorum comprovincialium, nisi causa cognita et probata in concilio provinciali; archidiaconi autem, decani et alii inferiores in iis ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem, assumpto notario, de consensu episcopi deinceps per se ipsos tantum ibidem visitare. Visitatores etiam a capitulo deputandi, ubi capitulum ius visitandi habet, prius ab episcopo approbentur; sed non ideo episcopus, vel, eo impedito, eius visitator easdem ecclesias seorsum ab his visitare prohibeatur, cui ipsi archidiaconi vel alii inferiores visitationis factae infra mensem rationem reddere, et depositiones testium ac integra acta ei exhibere teneantur; non obstantibus quacunque consuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus et privilegiis quibuscunque. Visitationum autem omnium istarum praecipuus sit scopus[42]), sanam orthodoxamque doctrinam expulsis haeresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque

Sess. XXIV. 39) cf. conc. Basil. Sess. XV. — 40) cf. l. I. n. 37. — 41) cf. c. 11. C. X. qu. 1. (conc. Tol. IV.) — 42) c. 1. §. 4. de cens. in VIto. III. 20. (Innoc. IV.)

accendere; cetera, prout locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quae ut faci- 231.
lius feliciusque succedant, monentur praedicti omnes et singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna caritate Christianoque zelo omnes amplectantur; ideoque modesto contenti equitatu famulatuque, studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere. Interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint[43]), neve ipsi, aut quisquam suorum quicquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, praeter id, quod ex relictis piis iure debetur aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcunque sit, etiam qualitercunque offeratur, accipiant, non obstante quacunque consuetudine, etiam immemorabili; exceptis tamen victualibus[44]), quae sibi ac suis frugaliter moderateque pro temporis tantum necessitate, et non ultra, erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi certa pecunia taxata consuetum, an vero praedicta victualia subministrare; salvo item iure conventionum antiquarum cum monasteriis aliisve piis locis aut ecclesiis non parochialibus inito, quod illaesum permaneat. In iis vero locis seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quicquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur. Quod si quispiam, quod absit, aliquid amplius in supra dictis omnibus casibus accipere praesumpserit, is, praeter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam poenis iuxta constitutionem concilii generalis Lugdunensis, quae incipit: *Exigit*[45]), nec non et aliis poenis in synodo provinciali arbitrio synodi absque ulla spe veniae mulctetur. Patroni vero in iis, quae ad sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se praesumant ingerere, ne- 232.
que visitationi ornamentorum ecclesiae, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat; sed episcopi ipsi haec faciant et fabricarum reditus in usus ecclesiae necessarios et utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent.

C. IV. *Praedicationis munus a quibus et quando obeundum. Ecclesia parochialis ad audiendum verbum Dei adeunda. Nullus contradicente episcopo praedicet.*

Praedicationis munus, quod episcoporum praecipuum est, cupiens sancta synodus, quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri, canones alias super hoc editos[46]) sub fel. rec. Paulo III.

Sess. XXIV. 43) cf. c. 1. C. X. qu. 1. (conc. Brac. II.) c. 7. ib. (Conc. 8. ib. Cabil. II.) c. (conc. Tol. VII.) c. 6. X. de cens. III. 39. (conc. Lat. III.) — 44) cf. c. 1. de off. ord. in VIto I. 16. (Bonif. VIII.) — 45) cf. c. 2. de cens. in VIto III. 20. et infra inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 46) cf. Sess. V. c. 2. de ref. et capp. ib. alleg.

poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vacaturae ab episcopo instituatur, qui magister sit vel doctor, aut licentiatus in theologia vel iure canonico, et annorum quadraginta, seu alius, qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui, dum confessiones in ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur.

C. IX. *A quo visitari debeant ecclesiae saeculares nullius dioecesis.*

Quae alias sub fel. rec. Paulo III.[54]) et nuper sub beatissimo domino nostro Pio IV.[55]) in hoc eodem concilio de adhibenda ab ordinariis diligentia in beneficiorum, etiam exemptorum, visitatione constituta sunt, eadem etiam in iis ecclesiis saecularibus observentur, quae in nullius dioecesi esse dicuntur, ut ab episcopo, cuius cathedralis ecclesia est proximior, si id constet, alioquin ab eo, qui semel in concilio provinciali a praelato loci illius electus fuerit, tanquam sedis apostolicae delegato, visitentur; non obstantibus privilegiis et consuetudinibus quibuscunque, etiam immemorabilibus.

237. C. X. *Exsecutio visitationis a subditis ne suspendatur.*

Episcopi, ut aptius quem regunt populum possint in officio atque obedientia continere, in omnibus iis, quae ad visitationem ac morum correctionem subditorum suorum spectant, ius et potestatem habeant, etiam tanquam apostolicae sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi et exsequendi iuxta canonum sanctiones, quae illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione ac dioecesis suae utilitate necessaria videbuntur. Nec in his, ubi de visitatione aut morum correctione agitur[56]), exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio seu querela, etiam ad sedem apostolicam interposita, exsecutionem eorum, quae ab his mandata, decreta aut iudicata fuerint, quoquo modo impediat aut suspendat.

C. XI. *Honorarii tituli aut privilegia particularia episcoporum iuri nihil detrahant. Cap. Quum capella, Extra de privilegiis, innovatur.*

Quoniam privilegia et exemptiones, quae variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in episcoporum iurisdictione excitare et exemptis occasionem laxioris vitae praebere dignoscuntur, decernit sancta synodus, ut, si quando iustis, gravibus et fere
238. necessariis suadentibus causis aliquos honorariis titulis protonotariatus, acolythatus, comitis palatini, capellani regii, aut aliis huiusmodi in Romana curia vel extra insignibus decorandos esse placuerit, nec non alios, cuicunque monasterio oblatos, vel quo-

Sess. XXIV. 54) Sess. VI. de ref. c. 4. Sess. VII. de ref. c. 8. — 55) Sess. XXI. de ref. c. 8. — 56) cf. Sess. XIII. de ref. c. 1. Sess. XIV. de ref. c. 4. Sess. XXII. de ref. c. 1.

modocunque addictos, aut sub nomine servientium militiis, seu monasteriis, hospitalibus, collegiis, aut quocunque alio titulo assumi, nihil ex iis privilegiis detractum esse ordinariis intelligatur, quo minus ii, quibus ea iam concessa sunt, vel in posterum concedi contigerit, ipsis ordinariis, tanquam apostolicae sedis delegatis, plene in omnibus, et, quoad capellanos regios, iuxta constitutionem Innocentii III.[57]), quae incipit: *Quum capella*, subiecti exsistant; exceptis tamen iis, qui praedictis locis aut militiis actu serviunt, et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt, sive iis, qui legitime et secundum regulam earundem militiarum professionem fecerint, de qua ordinario constare debeat; non obstantibus privilegiis quibuscunque, etiam religionis sancti Ioannis Ierosolymitani, et aliarum militiarum. Quae vero privilegia residentibus in curia Romana vigore Eugenianae constitutionis[58]) aut familiaritatis cardinalium competere solent, ea in iis, qui beneficia ecclesiastica obtinent, ratione praedictorum beneficiorum minime intelligantur, sed ordinarii iurisdictioni subiecti permaneant; non obstantibus quibuscunque inhibitionibus.

C. XII. *Quales esse debeant promovendi ad dignitates et canonicatus cathedralium ecclesiarum, quidve promoti praestare teneantur.*

Quum dignitates in ecclesiis, praesertim cathedralibus, ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerint institutae, 239.
ut qui eas obtinerent pietate praecellerent, aliisque exemplo essent, atque episcopos opera et officio iuvarent, merito qui ad eas vocantur tales esse debent, qui suo muneri respondere possint. Nemo igitur deinceps ad dignitates quascunque[59]), quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem XXV. suae aetatis annum attigerit, et, in clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exsequendum necessaria ac morum integritate commendetur; iuxta constitutionem Alexandri tertii in concilio Lateranensi promulgatam[60]), quae incipit: *Quum in cunctis*. Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur episcopi[61]), sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in theologia, seu doctores aut licentiati in iure canonico. Ad ceteras autem dignitates vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei et XXII. annis non minores adsciscantur. Provisi etiam de beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus teneantur a die adeptae possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius episcopi, vel eo impedito coram generali eius vicario seu officiali, orthodoxae suae fidei pu-

Sess. XXIV. 57) c. 16. X. de priv. V. 33. et infra inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 58) c. 3. h. t. in Extr. comm. V. 7. et infr. l. c. — 59) cf. Sess. XXII. de ref. c. 2. — 60) c. 7. X. de elect. I. 6. et infr. inter const. ex antiq. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 61) cf. c. 7. X. de off. archid. I. 23. (Innoc. III.)

blicam facere professionem, et in ecclesiae Romanae obedientia se permansuros spondeant ac iurent[62]). Provisi autem de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, non solum coram episcopo seu eius officiali, sed etiam in capitulo idem facere teneantur; alioquin praedicti omnes provisi ut supra fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, praebenda aut
240. portio requirit; aut in tali aetate, ut infra tempus a iure et ab hac sancta synodo statutum initiari valeat[63]). In omnibus vero ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatus vel subdiaconatus; episcopus autem cum consilio capituli designet ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat; ita tamen, ut dimidia saltem pars presbyteri sint, ceteri vero diaconi aut subdiaconi. Ubi vero consuetudo laudabilior habet, ut plures vel omnes sint presbyteri, omnino observetur. Hortatur etiam sancta synodus, ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris vel doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia vel iure canonico. Praeterea obtinentibus in eisdem cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse[64]); salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos iuxta sacrorum canonum constitutiones procedatur[65]). Distributiones vero[66]) qui statis horis interfuerint recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant iuxta Bonifacii VIII. decretum[67]), quod incipit: *Consuetudinem*, quod sancta synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscunque
241. statutis et consuetudinibus. Omnes vero divina per se[68]), et non per substitutos, compellantur obire officia, et episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere et asservire, atque in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter,

---

Sess. XXIV. 62) cf. bull. Pii IV. In sacrosancta, infra inter doc. conc. Trid. spect. — 63) cf. Sess. VII. de ref. c. 12. et loc. ibi alleg. n. 34. — 64) cf. Sess. XXVII. c. 1. de ref. — 65) cf. tot. tit. X. de cler. non resid. III. 4. — 66) cf. c. 32. X. de praeb. III. 5. (Honor. III.) — 67) cap. un. de cler. non resid. in VIto III. 3. et infra inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 68) cf. c. 3. X. de cler. non resid. III. 4. (Innoc. III.) c. 30. X. de praeb. III. 5. (Innoc. III.) Sess. XXII. de ref. c. 4.

distincte devoteque laudare. Vestitu[69]) insuper decenti tam in ecclesia quam extra assidue utantur; ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis lusibusque abstineant, atque ea morum integritate polleant, ut merito ecclesiae senatus dici possit. Cetera, quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi et permanendi, simulque de omnibus ecclesiae ministris, quae necessaria erunt, et si qua huiusmodi, synodus provincialis pro cuiusque provinciae utilitate et moribus certam cuique formulam praescribet. Interea vero episcopus non minus quam cum duobus canonicis, quorum unus ab episcopo, alter a capitulo eligatur, in iis, quae expedire videbuntur, poterit providere.

C. XIII. *Quomodo tenuioribus cathedralibus ecclesiis et parochiis consulendum. Parochiae certis finibus distinguendae.*

Quoniam pleraeque cathedrales ecclesiae tam tenuis reditus sunt et angustae, ut episcopali dignitati nullo modo respondeant, neque ecclesiarum necessitati sufficiant, examinet concilium provinciale, vocatis iis, quorum interest, et diligenter expendat, quas propter angustias tenuitatemque vicinis unire[70]) vel novis proventibus au- 242.
gere expediat; confectaque de praemissis instrumenta ad summum Romanum Pontificem mittat, quibus instructus summus Pontifex ex prudentia sua, prout expedire iudicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqua accessione ex fructibus augeat. Interim vero, donec praedicta effectum sortiantur, huiusmodi episcopis, qui fructuum subventione pro dioecesis suae tenuitate indigent, poterit de beneficiis aliquibus, dum tamen curata non sint, nec dignitates, seu canonicatus, et praebendae, nec monasteria, in quibus viget regularis observantia, vel quae capitulis generalibus et certis visitatoribus subduntur, a summo Romano Pontifice provideri. In parochialibus etiam ecclesiis, quarum fructus aeque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit episcopus, si per beneficiorum unionem, non tamen regularium, id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione, aut per parochianorum symbola ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro rectoris ac parochiae necessitate decenter sufficiat. In unionibus vero quibuslibet, seu ex supradictis, seu aliis causis faciendis, ecclesiae parochiales monasteriis quibuscunque, aut abbatiis, seu dignitatibus sive praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus militiisve non uniantur, et quae unitae sunt revideantur ab ordinariis iuxta alias decretum in eadem synodo sub fel. rec. Paulo

---

Sess. XXIV. 69) cf. tot. tit. X. de vita et hon. cler., et in VIto III. 1., in Clem. III. 1., et in Extrav. comm. III. 1. et tit. X. de cleric. venat. V. 24. — 70) cf. Sess. VII. de ref. c. 6 et 7. Sess. XIV. de ref. c. 9. Sess. XXIV. de ref. c. 15.

III.[71]), quod etiam in unitis ab eo tempore citra aeque observetur; non obstantibus in iis quibuscunque verborum formis, quae hic pro sufficienter expressis habeantur. Ad haec in posterum omnes hae cathedrales ecclesiae, quarum reditus summam ducatorum mille, et parochiales, quae summam ducatorum centum secundum verum
243. annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur. In iis quoque civitatibus ac locis, ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, mandat sancta synodus episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent[72]), qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus ac locis, ubi nullae sunt parochiales, quamprimum fieri curent; non obstantibus quibuscunque privilegiis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

C. XIV. *Ne quis admittatur ad possessionem beneficii aut distributionum cum fructuum distributione in usus non pios convertenda.*

In pluribus ecclesiis, tam cathedralibus quam collegiatis et parochialibus, ex earum constitutionibus aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione sive admissione ad posessionem alicuius cathedralis ecclesiae, vel beneficii, canonicatuum, aut praebendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas, certae conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitae, aut etiam quae in aliquibus ecclesiis dicuntur turnorum lu-
244. cra, interponantur. Haec quum sancta synodus detestetur, mandat episcopis, ut, quaecunque huiusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacae labis aut sordidae avaritiae suspicionem habent, fieri non permittant, ipsique diligenter de eorum constitutionibus sive consuetudinibus super praedictis cognoscant, et illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas ac scandalosas reiiciant et aboleant. Eos vero, qui adversus haec in praesenti decreto comprehensa quavis ratione commiserint, poenis contra simoniacos editis sacris canonibus[73]) et variis summorum Pontificum constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit; non obstantibus quibuscunque statutis,

Sess. XXIV. 71) Sess. VII. de ref. c. 6. — 72) cf. Sess. XIV. de ref. c. 9. — 73) cf. C. I. qu. 1. fere per tot. et tot. tit. X. de sim. (III. 5.) et in Extr. comm. V. 1.

constitutionibus, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam apostolica auctoritate confirmatis, de quarum surreptione, obreptione et intentionis defectu episcopus, tanquam apostolicae sedis delegatus, cognoscere possit.

C. XV. *Ratio augendi tenues praebendas ecclesiarum cathedralium et collegiatarum insignium.*

In ecclesiis cathedralibus[74]) et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat episcopis cum consensu capituli[75]) vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, iis unire, vel, si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis, cum patronorum consensu, si de iure patronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum re- 245.
ducere; ita tamen, ut tot supersint, quae divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere[76]); non obstantibus quibuscunque constitutionibus et privilegiis, aut quacunque reservatione generali vel speciali aut affectione. Neque praedictae uniones aut suppressiones tolli seu impediri possint ex quibuscunque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus.

C. XVI. *Quid muneris incumbat capitulo sede vacante.*

Capitulum sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, oeconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum ecclesiasticarum et proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Item officialem seu vicarium infra octo dies post mortem episcopi constituere, vel exsistentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in iure canonico sit doctor vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Si secus factum fuerit, ad metropolitanum deputatio huiusmodi devolvatur[77]). Et si ecclesia ipsa metropolitana fuerit aut exempta, capitulumque, ut praefertur, negligens fuerit, tunc antiquior episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior episcopus in exempta oeconomum et vicarium idoneos possit constituere. Episcopus vero ad eandem ecclesiam vacantem promotus ex iis, quae ad eum spectant, ab eisdem oeconomo, vicario et aliis quibuscunque officialibus et administratoribus, qui sede vacante fuerunt a capitulo vel ab aliis in eius locum constituti, 246.

Sess. XXIV. 74) cf. Sess. XXIV. de ref. c. 13. — 75) cf. Sess. V. de ref. c. 1. — 76) cf. c. 2. X. de instit. III. 7. (Eug. III.) — 77) cf. c. ult. de suppl. negl. prael. in VIto I. 8. (Bonif. VIII.)

etiam si fuerint ex eodem capitulo, rationem exigat officiorum, iurisdictionis, administrationis aut cuiuscunque eorum muneris; possitque eos punire, qui in eorum officio seu administratione deliquerint, etiam si praedicti officiales redditis rationibus a capitulo vel a deputatis ab eodem absolutionem aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque episcopo teneatur capitulum de scripturis ad ecclesiam pertinentibus, si quae ad capitulum pervenerunt, rationem reddere.

C. XVII. *Beneficiorum collationi et plurium retentioni modus statuitur.*

Quum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum, sancte sacris canonibus cautum fuit[78]), neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improbae cupiditatis affectu se ipsos, non Deum, decipientes, ea, quae bene constituta sunt, variis artibus eludere, et plura simul beneficia obtinere non erubescunt: sancta synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens, praesenti decreto, quod in quibuscunque personis, quocunque titulo, etiam si cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam eius, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.
247. Haecque non modo ad cathedrales ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam saecularia quam regularia quaecunque, etiam commendata, pertineant, cuiuscunque tituli ac qualitatis exsistant. Illi vero, qui in praesenti plures parochiales ecclesias, aut unam cathedralem et aliam parochialem obtinent, cogantur omnino[79]), quibuscunque dispensationibus ac unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum parochiali vel sola cathedrali retenta, alias parochiales infra spatium sex mensium dimittere. Alioquin tam parochiales quam beneficia omnia, quae obtinent, ipso iure vacare censeantur[80]), ac tanquam vacantia libere aliis idoneis conferantur, nec ipsi antea illa obtinentes tuta conscientia fructus post dictum tempus retineant. Optat autem sancta synodus, ut resignantium necessitatibus commoda aliqua ratione, prout summo Pontifici videbitur, provideatur.

C. XVIII. *Ecclesia parochiali vacante deputandus ab episcopo vicarius, donec illi provideatur de parocho. Nominati ad parochiales qua forma et a quibus examinari debent.*

Expedit maxime animarum saluti, a dignis atque idoneis parochis gubernari. Id ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit sancta

Sess. XXIV. 78) cf. Sess. VII. de ref. c. 2. cum alleg. — 79) Sess. cit. c. 4. — 80) cf. c. 4. de praeb. in Extr. comm. III. 2. (Ioann. XXII.) —

synodus, ut, quum parochialis ecclesiae vacatio, etiamsi cura ecclesiae vel episcopo incumbere dicatur, et per unum vel plures administretur, etiam in ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit episcopus uni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infra scriptum examen teneri mandat[81]), per obitum vel resignationem, etiam in curia, seu aliter 248.
quomodocunque contigerit, etiam si ipsa parochialis ecclesia reservata vel affecta fuerit generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem sanctae Romanae ecclesiae cardinalium, seu abbatum vel capitulorum: debeat episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur. Porro episcopus, et qui ius patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab episcopo praescribendum, idoneos aliquot clericos ad regendam ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cuiuslibet aetate, moribus et sufficientia fieri diligens inquisitio. Et si episcopo aut synodo provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur qui volent examinari. Transacto constituto tempore omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab episcopo[82]), sive eo impedito ab eius vicario generali, atque ab aliis examinatoribus non paucioribus quam tribus, quorum votis, si pares aut singulares fuerint, accedere possit episcopus vel vicarius, quibus magis videbitur. Examinatores autem singulis annis in dioecesana synodo ab episcopo vel eius vicario ad minus sex proponantur, qui synodo satisfaciant, et ab ea probentur. Advenienteque vacatione cuiuslibet ecclesiae tres ex illis eligat episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque succedente alia vacatione aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex praedictis illis sex eligat. Sint vero hi examinatores magistri, seu doctores, aut licentiati in theologia aut iure canonico, vel alii clerici seu regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei; iurentque 249.
omnes ad sancta Dei evangelia, se quacunque humana affectione postposita fideliter munus exsecuturos. Caveantque, ne quicquam prorsus occasione huius examinis nec ante nec post accipiant[83]); alioquin simoniae vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, a quo absolvi nequeant nisi dimissis beneficiis, quae quomodocunque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in synodo provin-

Sess. XXIV. 81) cf. Sess. VII. de ref. c. 13. — 82) cf. Sess. XXV. de ref. c. 9. — 83) cf. c. 5. D. XXIV. (conc. Nannet.)

ciali, si opus erit, rationem reddere teneantur, a qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter eius arbitrio puniri possint. Peracto deinde examine renuncientur quotcunque ab his idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis. Ex hisque episcopus eum eligat[84]), quem ceteris magis idoneum iudicaverit, atque illi, et non alteri, collatio ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si vero iuris patronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad episcopum, et non ad alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, episcopo praesentare teneatur[85]), ut ab eo instituatur. Quum vero institutio ab alio, quam ab episcopo, erit facienda, tunc episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei praesentet, ad quem institutio spectat. Quod si iuris patronatus laicorum fuerit, debeat qui a patrono praesentatus fuerit ab eisdem deputatis ut supra examinari, et non nisi idoneus repertus fuerit admitti. In omnibusque supradictis casibus non cuiquam alteri, quam uni ex praedictis examinatis et ab examinatoribus approbatis, iuxta supradictam regulam, de ecclesia provideatur, nec praedictorum examinatorum relationem, quo minus exsecutionem habeat, ulla devolutio aut appellatio, etiam ad sedem apostolicam, 250.
sive eiusdem sedis legatos aut vicelegatos, aut nuncios, seu episcopos, aut metropolitanos, primates vel patriarchas interposita impediat aut suspendat; alioquin vicarius, quem ecclesiae vacanti antea episcopus arbitrio suo ad tempus deputavit, vel forsan postea deputabit, ab eius ecclesiae custodia et administratione non amoveatur, donec aut eidem, aut alteri, qui probatus et electus fuerit, ut supra, sit provisum. Alias provisiones omnes seu institutiones, praeter supradictam formam factae, surreptitiae esse censeantur; non obstantibus huic decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, praeventionibus, affectionibus, novis provisionibus, indultis concessis quibuscunque universitatibus[86]), etiam ad certam summam, et aliis impedimentis quibuscunque. Si tamen adeo exigui reditus dictae parochiales fuerint, ut totius huius examinationis operam non ferant, aut nemo sit, qui se examini quaerat subiicere, aut ob apertas factiones seu dissidia, quae in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixae ac tumultus possint excitari: poterit ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa privatum aliud examen, ceteris tamen ut supra servatis, adhibere. Licebit etiam synodo provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda remittendave esse censuerit, providere.

Sess. XXIV. 84) cf. Sess. XXV. de ref. c. 9. — 85) cf. Sess. XIV. de ref. c. 13. — 86) cf. Sess. VII. de ref. c. 13.

C. XIX. *Mandata de providendo, exspectativae et alia id genus antiquantur.*

Decernit sancta synodus, mandata de providendo, et gratias, quae exspectativae dicuntur nemini amplius, etiam collegiis, universi- 251.
tatibus, senatoribus et aliis singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi, nec hactenus concessis cuiquam uti licere[87]). Sed nec reservationes mentales, nec aliae quaecunque gratiae ad vacatura, nec indulta ad alienas ecclesias vel monasteria alicui, etiam ex sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus, concedantur, et hactenus concessa abrogata esse censeantur.

C. XX. *Ratio tractandi causas ad forum ecclesiasticum pertinentes praescribitur.*

Causae omnes, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram ordinariis locorum duntaxat cognoscantur, atque omnino saltem infra biennium a die motae litis terminentur alioquin post id spatium liberum sit partibus vel alteri illarum, iudices superiores, alias tamen competentes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant et quam primum terminari curent; nec antea aliis committantur, nec avocentur, neque appellationes ab eisdem interpositae per superiores quoscunque recipiantur, eorumve commissio aut inhibitio fiat, nisi a definitiva vel a definitivae vim habente, et cuius gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. Ab his excipiantur cau- 252.
sae, quae iuxta canonicas sanctiones apud sedem apostolicam sunt tractandae[88]), vel quas ex urgenti rationabilique causa iudicaverit summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum signaturae sanctitatis suae manu propria subscribendum committere aut avocare. Ad haec causae matrimoniales et criminales non decani, archidiaconi aut aliorum inferiorum iudicio, etiam visitando, sed episcopi tantum examini et iurisdictioni relinquantur, (etiam si in praesenti inter episcopum et decanum seu archidiaconum, aut alios inferiores super causarum istarum cognitione lis aliqua in quacunque instantia pendeat), coram quo, si pars vere paupertatem probaverit, non cogatur extra provinciam, nec in secunda, nec in tertia instantia in eadem causa matrimoniali litigare, nisi pars altera et alimenta et expensas litis velit subministrare. Legati quoque, etiam de latere, nuncii, gubernatores ecclesiastici, aut alii, quarumcunque facultatum vigore, non solum episcopos in praedictis causis impedire, aut aliquo modo eorum iurisdictionem iis praeripere aut turbare

---

Sess. XXIV. 87) cf. Sess. XXV. de ref. c. 9. — tot. tit. X. de conc. praeb. non vac. III. 8. in VIto (III. 8.) in Clem. (III. 3.) — 88) cf. e. gr. c. 4. conc. Sard. (c. 7. C. VI. qu. 4.) — Sess. XXV. de ref. c. 10.

non praesumant; sed nec etiam contra clericos aliasve personas ecclesiasticas, nisi episcopo prius requisito eoque negligente, procedant. Alias eorum processus ordinationesve nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur. Praeterea, si quis in casibus a iure[89]) permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium iudicem recurrerit, teneatur acta omnia coram episcopo gesta ad iudicem appellationis expensis suis transferre, eodem tamen episcopo prius admonito, ut, si quid ei pro causae instructione videbitur, possit iudici appellationis significare. Quod si appellatus compareat, cogatur tunc is quoque actorum, quae translata sunt, expensas pro portione sua, si illis uti voluerit, subire; nisi aliter ex loci consuetudine servetur, ut scilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. Porro ipsam actorum co-
253. piam teneatur notarius congrua mercede accepta appellanti quanto citius et ad minus intra mensem exhibere. Qui notarius si in differenda exhibitione fraudem fecerit, ab officii administratione arbitrio ordinarii suspendatur, et ad dupli poenam, quanti ea lis fuerit, inter appellantem et pauperes loci distribuendam compellatur. Iudex vero, si et ipse impedimenti huius conscius particepsve fuerit, aliterve obstiterit, ne appellanti integre acta intra tempus traderentur, ad eandem dupli poenam, prout supra, teneatur; non obstantibus, quoad omnia suprascripta, privilegiis, indultis, concordiis, quae suos tantum teneant auctores, et aliis quibuscunque consuetudinibus.

C. XXI. *Declaratur, ex certis verbis supra positis non immutari solitam rationem tractandi negotia in generalibus conciliis.*

Cupiens sancta synodus, ut ex decretis ab ea editis nulla unquam futuris temporibus dubitandi occasio oriatur, verba illa, posita in decreto publicato sessione prima sub beatissimo domino nostro Pio IV.[90]), videlicet: *Quae proponentibus legatis ac praesidentibus ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de religione controversias, coercendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, ecclesiae veram et Christianam pacem conciliandam, apta et idonea ipsi sanctae synodo videbuntur*, explicando declarat, mentis suae non fuisse, ut ex praedictis verbis solita ratio tractandi negotia in generalibus conciliis ulla ex parte immutaretur, neque novi quicquam, praeter id, quod a sacris canonibus vel generalium synodorum forma hactenus statutum est, cuiquam adderetur vel detraheretur.

Sess. XXIV. 89) cf. tot. tit. X. de appell. II. 28. in VIto II. 15. in Clem. II. 12. — 90) cf. Sess. XVII. in princ.

Indictio futurae sessionis. 254.

Insuper eadem sacrosancta synodus proximam futuram sessionem feria quinta post conceptionem beatae Mariae Virginis, quae erit dies nona mensis Decembris proxime venturi, habendam esse statuit et decernit, cum potestate etiam abbreviandi. In qua sessione tractabitur de sexto nunc in eam dilato capite, et de reliquis reformationis capitibus iam exhibitis, deque aliis ad eam pertinentibus. Si vero opportunum videbitur, et tempus patietur, poterit etiam de nonnullis dogmatibus tractari, prout suo tempore in congregationibus proponentur.

Abbreviata est dies sessionis.

SESSIO XXV.

QUAE EST NONA ET ULTIMA SUB PIO IV., PONTIFICE MAXIMO, COEPTA DIE III. ABSOLUTA DIE IV. DECEMBRIS MDLXIII.

DECRETUM DE PURGATORIO.

Quum catholica ecclesia, Spiritu sancto edocta ex sacris literis et antiqua Patrum traditione, in sacris conciliis et novissime in hac oecumenica synodo docuerit, purgatorium esse[1]), animasque ibi 255.
detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari, praecipit sancta synodus episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam a sanctis Patribus et sacris conciliis traditam[2]) a Christi fidelibus credi, teneri, doceri et ubique praedicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quaestiones, quaeque ad aedificationem non faciunt[3]), et ex quibus plerumque nulla sit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item vel quae specie falsi laborant evulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quae ad curiositatem quandam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala et fidelium offendicula prohibeant. Curent autem episcopi[4]), ut fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, oratio-

---

Sess. XXV. 1) cf. Sess. VI. can. 30. Sess. XXII. de sacrif. miss. c. 2. et can. 3. — 2) cf. Greg. Dial. IV. 39. (c. 4. D. XXV.) lib. de poen. qui dic. Augustini c. 18. (c. 5. ib.) conc. Florentin. circa fin. — 3) 1 Tim. 1. 4. — 4) cf. Sess. XXV. de ref. c. 4.

nes, eleemosynae, aliaque pietatis opera, quae a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum ecclesiae instituta pie et devote fiant, et quae pro illis ex testatorum fundationibus vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed a sacerdotibus, et ecclesiae ministris, et aliis, qui hoc praestare tenentur, diligenter et accurate persolvantur.

DE INVOCATIONE, VENERATIONE ET RELIQUIIS SANCTORUM, ET SACRIS IMAGINIBUS.

Mandat sancta synodus omnibus episcopis et ceteris docendi munus curamque sustinentibus, ut iuxta catholicae et apostolicae ecclesiae usum a primaevis Christianae religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, et sacrorum conciliorum decreta, in primis de sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore, et legitimo imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos, sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum[5]) Dominum nostrum, qui solus noster redem-
256. ptor et salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere; illos vero, qui negant, sanctos aeterna felicitate in coelo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Iesu Christi[6]), vel stultum esse, in coelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire. Sanctorum quoque martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus sancti[7]), ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda a fidelibus veneranda esse[8]), per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur, ita ut affirmantes, sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout iam pridem eos damnavit et nunc etiam damnat ecclesia. Imagines porro Christi, deiparae Virginis et aliorum sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, ve-

Sess. XXV. 5) cf. Sess. XXII. de sacr. miss. c. 3. — 6) 1 Tim. II. 5. — 7) 1 Cor. III. 16. VI. 19. 2 Cor. VI. 16. — 8) cf. conc. Nic. II. c. 7.

luti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant[9]): sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. Id quod conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae synodi[10]) decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.

Illud vero diligenter doceant episcopi, per historias mysterio- 257.
rum nostrae redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit aut senserit: anathema sit. In has autem sanctas et salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta synodus vehementer cupit, ita ut nullae falsi dogmatis imagines et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuantur. Quod si aliquando historias et narrationes sacrae scripturae, quum id indoctae plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici vel coloribus aut figuris exprimi possit. Omnis porro superstitio in sanctorum invocatione[11]), reliquiarum veneratione, et imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quaestus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur nec ornentur, et sanctorum celebratione ac reliquiarum visitatione homines ad comessationes atque ebrietates non abutantur[12]), quasi festi dies in honorem sanctorum per luxum ac lasciviam agantur. Postremo tanta circa haec diligentia et cura ab episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum aut praepostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum nihilque inhonestum appareat, quum domum Dei deceat sanctitudo[13]). Haec ut fidelius observentur, statuit sancta syno- 258.
dus, nemini licere ullo in loco vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula[14]), nec novas reliquias recipiendas[15]), nisi eodem recognoscente et approbante episcopo, qui, simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis et aliis piis

Sess. XXV. 9) Psalm. CXXXIV. 18. — 10) act. 3. 4. 6. — 11) cf. c. ult. X. de reliq. et ven. sanct. III. 45. (Innoc. III.) — 12) cf. c. 2. D. III. de cons. (conc. Tol. III.) — 13) Psalm. XCII. 5. — 14) cf. c. 1. h. t. (Alex. III.) — 15) cf. cit. c. 2. X. de reliqu.

viris ea faciat, quae veritati et pietati consentanea iudicaverit. Quod si aliquis dubius aut difficilis abusus sit exstirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quaestio incidat, episcopus, antequam controversiam dirimat, metropolitani et comprovincialium episcoporum in concilio provinciali sententiam exspectet; ita tamen, ut nihil inconsulto sanctissimo Romano Pontifice novum aut in ecclesia hactenus inusitatum decernatur.

DE REGULARIBUS ET MONIALIBUS.

Eadem sacrosancta synodus, reformationem prosequens, ea, quae sequuntur, statuenda esse censuit.

C. I. *Regulares omnes ad regulae, quam professi sunt, praescriptum vitam instituant; id ut fiat superiores sedulo curent.*

Quoniam non ignorat sancta synodus, quantum ex monasteriis pie institutis et recte administratis in ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur, necessarium esse censuit, quo facilius ac maturius,
259. ubi collapsa est, vetus et regularis disciplina instauretur, et constantius, ubi conservata est, perseveret, praecipere, prout hoc decreto praecipit, ut omnes regulares, tam viri quam mulieres, ad regulae, quam professi sunt, praescriptum vitam instituant et componant, atque in primis quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae[16]), paupertatis et castitatis, ac si quae alia sunt alicuius regulae et ordinis peculiaria vota et praecepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum et vestitum conservanda pertinentia fideliter observent. Omnisque cura et diligentia a superioribus adhibeatur tam in capitulis generalibus et provincialibus, quam in eorum visitationibus, quae suis temporibus facere non praetermittant, ut ab illis non recedatur; quum compertum sit, ab eis non posse ea, quae ad substantiam regularis vitae pertinent, relaxari. Si enim illa, quae bases sunt et fundamenta totius regularis disciplinae, exacte non fuerint conservata, totum corruat aedificium necesse est.

C. II. *Proprietas regularibus omnino prohibetur.*

Nemini igitur regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria[17]) aut etiam nomine conventus possidere vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum vel usum,

Sess. XXV. 16) cf. c. 1. de V. S. in Clem. V. 11. (Clem. V.) — 17) cf. c. 11. (Aug.) c. 13. (Iul. Pom.) C. XII. qu. 1. c. 2. X. de statu monach. III. 35. (conc. Lat. III.) c. 6. ib. (Innoc. III.)

administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum 260.
monasteriorum seu conventuum ad solos officiales eorundem ad nutum superiorum amovibiles pertineat. Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Quod si quis aliter quicquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa et passiva voce privatus sit, atque etiam iuxta suae regulae et ordinis constitutiones puniatur.

C. III. *Omnia monasteria, quae hic non prohibentur, possunt possidere bona immobilia. Numerus personarum in illis pro modo facultatum aut eleemosynarum constituendus. Nulla sine licentia episcopi erigenda.*

Concedit sancta synodus omnibus monasteriis et domibus, tam virorum quam mulierum, et mendicantium, exceptis domibus fratrum sancti Francisci[18]), Capucinorum et eorum, qui Minorum de observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Quod si aliqua loca ex praedictis, quibus auctoritate apostolica similia bona possidere permissum erat, eis spoliata sint, eadem omnia illis restituenda esse decernit. In praedictis autem monasteriis et domibus tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur[19]), ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasteriorum, vel ex 261.
consuetis eleemosynis commode possit sustentari; nec de cetero similia loca erigantur sine episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.

C. IV. *Regularis sine superioris licentia nec se obsequio alterius loci aut personae subiiciat, nec a conventu recedat. Absens studiorum causa in conventibus commoretur.*

Prohibet sancta synodus, ne quis regularis sine sui superioris licentia praedicationis, vel lectionis aut cuiusvis pii operis praetextu subiiciat se obsequio alicuius praelati, principis, vel universitatis vel communitatis, aut alterius cuiuscunque personae seu loci[20]), neque ei aliquando privilegium aut facultas ab aliis super iis obtenta suffragetur. Quod si contra fecerit, tanquam inobediens arbitrio superioris puniatur. Nec liceat regularibus a suis

Sess. XXV. 18) cf. Clem. cit. not. 16. — 19) cf. c. 1. X. de vit. et hon. cler. III. 1. (Gregor. VIII.) c. 1. X. de instit. III. 7. (conc. Arel. VI.) c. un. de stat. regul. in VIto III. 16. (Bonif. VIII.) — 20) cf. c. 35. C. XVI. qu. 1. (conc. Tarrac.) c. 7. X. de off. iud. ord. I. 31. (Innoc. III.) c. 3. 4. X. ne cler. vel mon. III. 50. (Alex. III.) c. 1. §. 5. de statu mon. in Clem. III. 10. (Clem. V.)

conventibus recedere, etiam praetextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur. Illi autem, qui studiorum causa ad universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent; alioquin ab ordinariis contra eos procedatur.

C. V. *Clausurae monialium, praesertim quae extra urbes agunt, providetur.*

262. Bonifacii octavi constitutionem[21]), quae incipit: *Periculoso*, renovans sancta synodus, universis episcopis sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero sedis apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacunque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod auxilium ut praebeatur, omnes Christianos principes hortatur sancta synodus, et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda omnibus magistratibus saecularibus iniungit. Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio[22]), etiam ad breve tempus, quocunque praetextu, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo approbanda, indultis quibuscunque et privilegiis non obstantibus. Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat[23]), cuiuscunque generis, aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda. Dare autem tantum episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis, neque alius ullo modo possit, etiam vigore cuiuscunque facultatis vel indulti hactenus concessi vel in posterum concedendi. Et quia monasteria sanctimonialium extra moenia urbis vel oppidi constituta malorum hominum praedae et aliis facinoribus sine ulla saepe custodia sunt exposita, curent episcopi et alii superiores, si ita videbitur expedire, ut sanctimoniales ex iis ad nova vel antiqua monasteria intra urbes vel oppida frequentia re-
263. ducantur, invocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachii saecularis. Impedientes vero vel non obedientes per censura ecclesiasticas parere compellant.

C. VI. *Ratio eligendi superiores.*

In electione superiorum quorumcunque, abbatum temporalium, et aliorum officialium ac generalium, et abbatissarum atque aliarum

Sess. XXV. 21) c. un. de statu regul. in VIto III. 16. et infr. inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 22) cf. cit. cap. un. in VIto. — 23) cf. c. 8. de vit. et hon. cler. III. 1. (conc. Lat. III.)

praepositarum, quo omnia recte et sine ulla fraude fiant, in primis sancta synodus districte praecipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec in posterum liceat provinciales, aut abbates, priores aut alios quoscunque titulares ad effectum electionis faciendae constituere, aut voces et suffragia absentium supplere. Si vero contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, et is, qui ad hunc effectum se in provincialem, abbatem aut priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in religione obtinenda, inhabilis exsistat, facultatesque super his concessae eo ipso abrogatae censeantur, et, si in posterum aliae concedantur, tanquam surreptitiae habeantur.

C. VII. *Quae et quomodo abbatissae et quocunque nomine praefectae eligendae. Duobus monasteriis nulla praeficiatur.*

Abbatissa et priorissa, et quocunque alio nomine praefecta vel praeposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta[24]), et 264.
quae octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio eiusdem ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum superiori, qui electioni praeest, videatur, ex iis, quae in eodem monasterio annum trigesimum excesserint[25]), et quinque saltem annis post professionem recte vixerint, episcopo vel alio superiore consentiente, eligatur. Duobus vero monasteriis nulla praeficiatur. Et, si qua duo vel plura quocunque modo obtinet, cogatur uno excepto intra sex menses cetera resignare. Post id vero tempus, nisi resignaverit, omnia ipso iure vacent. Is vero, qui electioni praeest, episcopus sive alius superior claustra monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat vel accipiat. In reliquis serventur singulorum ordinum vel monasteriorum constitutiones.

C. VIII. *Regimen monasteriorum non habentium ordinarios regulares visitatores quomodo instituendum.*

Monasteria omnia, quae generalibus capitulis aut episcopis non subsunt, nec suos habent ordinarios regulares visitatores, sed sub immediata sedis apostolicae protectione ac directione regi consueverunt, teneantur infra annum a fine praesentis concilii, et deinde quolibet triennio sese in congregationes redigere, iuxta formam constitutionis Innocentii III.[26]), in concilio generali, quae incipit; *In singulis*, ibique certas regulares personas deputare, quae de modo et ordine, de praedictis congregationibus erigendis, ac statu-

Sess. XXV. 24) cf. c. 12. C. XX. qu. 1. (Gregor. I.) — 25) cf. c. 43. de elect. in VIto I. 6. (Bonifac. VIII.) — 26) c. 7. X. de statu mon. III. 35. et infr. inter const. ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas.

tis in eis exsequendis deliberent et statuant. Quod si in his negligentes fuerint, liceat metropolitano, in cuius provincia praedicta monasteria sunt, tanquam sedis apostolicae delegato, eos pro praedictis causis convocare. Quod si infra limites unius provinciae non sit sufficiens talium monasteriorum numerus ad erigendam congre-
265. gationem, possint duarum vel trium provinciarum monasteria unam facere congregationem. Ipsis autem congregationibus constitutis, illarum generalia capitula, et ab illis electi praesides vel visitatores eandem habeant auctoritatem in suae congregationis monasteria ac regulares in eis commorantes, quam alii praesides ac visitatores in ceteris habent ordinibus, teneanturque suae congregationis monasteria frequenter visitare, et illorum reformationi incumbere, et ea observare, quae in sacris canonibus[27]) et in hoc sacro concilio sunt decreta. Quod si etiam, metropolitano instante praedicta exsequi non curaverint, episcopis, in quorum dioecesibus loca praedicta sita sunt, tanquam sedis apostolicae delegatis subdantur.

C. IX. *Monasteria monialium immediate subiecta sedi apostolicae ab episcopo regantur; alia vero a deputatis in capitulis generalibus, vel aliis regularibus.*

Monasteria sanctimonialium sanctae sedi apostolicae immediate subiecta, etiam sub nomine capitulorum S. Petri, vel S. Ioannis, vel alias quomodocunque nuncupentur, ab episcopis tanquam dictae sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscunque. Quae vero a deputatis in capitulis generalibus vel ab aliis regularibus, reguntur, sub eorum cura et custodia relinquantur.

266. C. X. *Moniales unoquoque mense confiteantur et communicent. De confessario extraordinario iis ab episcopo provideatur. Apud illas extra publicam ecclesiam eucharistia non conservetur.*

Attendant diligenter episcopi et ceteri superiores monasteriorum sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant[28]), et sacrosanctam eucharistiam suscipiant, ut eo se salutari praesidio muniant ad omnes oppugnationes daemonis fortiter superandas. Praeter ordinarium autem confessorem alius extraordinarius ab episcopo et aliis superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. Quod vero sanctissimum Christi corpus intra chorum vel septa monasterii, et non in publica ecclesia conservetur, prohibet sancta synodus; non obstante quocunque indulto aut privilegio.

Sess. XXV. 27) cf. tot. tit. X. de statu mon. III. 35. de statu reg. in VIto III. 16. de statu mon. in Clem. III. 10. — 28) cf. c. 1. l. c. in Clem.

C. XI. *In monasteriis, quibus imminet cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum familia, visitet episcopus, et eidem curae praeficiendas examinet, certis exceptis.*

In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personae tam regulares quam saeculares huiusmodi curam exercentes, subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administra- 267.
tionem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi, in cuius dioecesi sunt sita. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de eiusdem consensu[29]), ac praevio examine per eum aut eius vicarium faciendo; excepto monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, et exceptis etiam iis monasteriis seu locis, in quibus abbates, generales aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis seu domibus, in quibus abbates aut alii regularium superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent; salvo tamen eorum episcoporum iure, qui maiorem in praedicta loca vel personas iurisdictionem exercent.

C. XII. *Conformentur regulares saecularibus in observatione censurarum episcopalium, et festorum dioecesis.*

Censurae et interdicta[30]), nedum a sede apostolica emanata, sed etiam ab ordinariis promulgata, mandante episcopo a regularibus in eorum ecclesiis publicentur atque serventur. Dies etiam festi, quos in dioecesi sua servandos idem episcopus praeceperit[31]), ab exemptis omnibus, etiam regularibus, serventur.

C. XIII. *Controversias de praecedentia e vestigio componat episcopus. Exempti non in strictiori clausura viventes ad supplicationes publicas accedere compellantur.*

Controversias omnes de praecedentia, quae persaepe maximo cum 268.
scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas tam saeculares quam regulares, cum in processionibus publicis, tum in iis, quae fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, et in deferenda umbella et aliis similibus, episcopus amota omni appellatione et non obstantibus quibuscunque componat. Exempti autem omnes, tam clerici saeculares quam regulares quicunque, etiam monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellantur; iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt.

Sess. XXV. 29) cf. c. 11. C. XVIII. qu. 2. (Statut. eccl. ant.) — 30) cf. Clem. 1. de sent. exc. V. 10. — 31) cf. c. 13. D. XII. (conc. Tolet. XI.)

C. XIV. *Regulari publice delinquenti poena a quo irroganda.*

Regularis, non subditus episcopo, qui intra claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, episcopo instante a suo superiore intra tempus ab episcopo praefigendum severe puniatur, ac de punitione episcopum certiorem faciat. Sin minus, a suo superiore officio privetur[32]), et delinquens ab episcopo puniri possit.

C. XV. *Professio non fiat nisi anno probationis exacto, et decimo sexto aetatis completo.*

In quacunque religione, tam virorum quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minore
269. tempore quam per annum[33]) post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla[34]), nullamque inducat obligationem ad alicuius regulae vel religionis vel ordinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus.

C. XVI. *Renunciatio aut obligatio facta ante duos menses proximos professioni sit nulla. Finita probatione novitii aut profiteantur, aut eiiciantur. In pio clericorum societatis Iesu instituto nihil innovatur. Cavetur, ne quid ex bonis novitii monasterio tribuatur ante professionem.*

Nulla quoque renunciatio aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in favorem cuiuscunque causae piae, valeat, nisi cum licentia episcopi sive eius vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter vero facta, etiam si cum huius favoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita et nullius effectus. Finito tempore novitiatus superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio eos eiiciant. Per haec tamen sancta synodus non intendit aliquid innovare[35]) aut prohibere, quin religio clericorum societatis Iesu iuxta pium eorum institutum a sancta sede apostolica approbatum Domino et eius ecclesiae inservire possit; sed neque ante professionem, excepto victu et vestitu, novitii vel novitiae illius temporis, quo in probatione est, quocunque praetextu, a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tri-
270. buatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel maiorem partem substantiae suae monasterium possideat, nec facile, si

Sess. XXV. 32) cf. c. ult. X. de statu monach. III. 35. (Honor. III.) 33) cf. c. 1. C. XVII. qu. 2. (Alex. II.) c. 16. X. de regular. III. 31. (Innoc. III.) c. 2. h. t. in VIto III. 14. (Alex. III.) — 34) cf. c. 8. X. h. t. (Alex. III.) c. 12. ib. (Clem. III.) c. 1. h. t. in VIto (Innoc. IV.) — 35) cf. bull. Gregor. XIII. Adscendente Domino. A. 1584.

discesserit, id recuperare possit. Quin potius praecipit sancta synodus sub anathematis poena dantibus et recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quae sua erant. Quod ut recte fiat, episcopus etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.

C. XVII. *Puella maior duodecim annis si habitum regularem suscipere voluerit, exploretur ab ordinario, iterumque ante professionem.*

Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens sancta synodus statuit atque decernit, ut, si puella, quae habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit[36]), non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam exploraverit episcopus, vel eo absente vel impedito eius vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta[37]), an seducta sit, an sciat quid agat, et si voluntas eius pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas iuxta monasterii illius et ordinis regulam, nec non monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat. Cuius professionis tempus ne episcopus ignoret, teneatur praefecta monasterio eum ante mensem certiorem facere. Quod si praefecta certiorem episcopum non fecerit, quamdiu episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

C. XVIII. *Ne quis, praeterquam in casibus a iure expressis, co-* 271.
gat mulierem ad ingrediendum monasterium aut ingredi volentem prohibeat. Poenitentium seu convertitarum constitutiones serventur.

Anathemati s. synodus subiicit omnes et singulas personas, cuiuscunque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocunque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem invitam, praeterquam in casibus in iure expressis[38]), ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subiicit eos[39]), qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo

Sess. XXV. 36) cf. cit. c. 12. X. h. t. — 37) cf. c. 10. C. XX. qu. 1. (cap. incert.) — 38) cf. c. 18. X. de conv. coning. III. 32. (Innoc. III.) c. 19. ib. (Greg. IX.) — 39) cf. c. 2. C. XX. qu. 2. (conc. Trib.) c. 16. C. XXXII. qu. 2. (conc. Tol. III.)

modo sine iusta causa impedierint. Eaque omnia et singula, quae ante professionem vel in ipsa professione fieri oportet, serventur non solum in monasteriis subiectis episcopo, sed et in aliis quibuscunque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quae poenitentes aut convertitae appellantur; in quibus constitutiones earum serventur.

272. C. XIX. *Quomodo in causis deficientium a religione procedendum.*

Quicunque regularis praetendat[40]), se per vim et metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat, ante aetatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis; et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram superiore suo et ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tanquam apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suae religionis iuvetur. Nemo etiam regularis cuiuscunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem[41]), nec detur licentia cuiquam regulari occulte ferendi habitum suae religionis.

C. XX. *Superiores ordinum episcopis non subiecti inferiora monasteria visitent ac corrigant, etiam commendata.*

Abbates, qui sunt ordinum capita, ac ceteri praedictorum ordinum superiores episcopis non subiecti, quibus est in alia inferiora monasteria prioratusve legitima iurisdictio, eadem illa sibi subdita monasteria et prioratus suo quisque loco atque ordine ex officio visitent, etiam si commendata exsistant. Quae quum ordinum suo-
273. rum capitibus subsint, declarat sancta synodus, in iis, quae alias de visitatione monasteriorum commendatorum definita sunt[42]), non esse comprehensa; teneanturque quicunque praedictorum ordinum monasteriis praesunt, praedictos visitatores recipere, et illorum ordinationes exsequi. Ipsa quoque monasteria, quae sunt ordinum capita, iuxta sanctae sedis apostolicae et cuiusque ordinis constitutiones visitentur. Et quamdiu durabunt huiusmodi commendae, priores claustrales, aut in prioratibus conventum habentibus superiores, qui correctiones et spirituale regimen exercent, a capitulis generalibus vel ipsorum ordinum visitatoribus instituantur. In ceteris omnibus praefatorum ordinum privilegia et facultates, quae ipsorum personas, loca et iura concernunt, firma sint et illaesa.

Sess. XXV. 40) cf. c. 8. C. XX. qu. 1. (Leo I.) c. cit. 12. X. de regul. — 41) cf. Sess. XIV. c. 11. de ref. — 42) cf. Sess. XXI. de ref. c. 8.

C. XXI. *Monasteria regularibus conferantur. Ordinum capita nemini in posterum commendentur.*

Quum pleraque monasteria, etiam abbatiae, prioratus et praepositurae, ex mala eorum, quibus commissa fuerint, administratione non levia passa fuerint tam in spiritualibus quam in temporalibus detrimenta, cupit sancta synodus ea ad congruam monasticae vitae disciplinam omnino revocare. Verum adeo dura difficilisque est praesentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium possit adhiberi. Ut tamen nihil praetermittat, unde praedictis salubriter aliquando provideri possit, primum quidem confidit, sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate et prudentia curaturum, quantum haec tempora ferre posse viderit, ut iis, quae nunc commendata reperiuntur, et quae suos conventus habent, regulares personae, eiusdem 274.
ordinis expresse professae, et quae gregi praeire et praeesse possint, praeficiantur. Quae vero in posterum vacabunt[43]) non nisi regularibus spectatae virtutis et sanctitatis conferantur. Quoad ea vero monasteria, quae capita sunt ac primates ordinum, sive abbatiae sive prioratus filiae illorum capitum nuncupantur, teneantur illi, qui in praesenti ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses religionem illorum ordinum propriam solenniter profiteri, aut iis cedere; alias commendae praedictae ipso iure vacare censeantur. Ne autem in praedictis omnibus et singulis fraus aliqua adhiberi possit, mandat sancta synodus, ut in provisionibus dictorum monasteriorum qualitas singulorum nominatim exprimatur, aliterque facta provisio surreptitia esse censeatur, nullaque subsequenti possessione, etiam triennali, adiuvetur.

C. XXII. *Praedicta de reformatione regularium nulla mora interposita observentur.*

Haec omnia et singula in superioribus decretis contenta observari sancta synodus praecipit in omnibus coenobiis ac monasteriis, collegiis ac domibus quorumcunque monachorum ac regularium, nec non quarumcunque sanctimonialium virginum ac viduarum, etiam si illae sub gubernio militiarum, etiam Ierosolymitanae, vivant, et quocunque nomine appellentur, sub quacunque regula, vel constitutionibus, et sub custodia vel gubernatione, vel quavis subiectione, aut annexione vel dependentia cuiuscunque ordinis, mendicantium vel non mendicantium, vel aliorum regularium monachorum, aut canonicorum quorumcunque; non obstantibus eorum 275.
omnium et singulorum privilegiis sub quibuscunque formulis verborum conceptis ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione

---

Sess. XXV. 43) cf. Sess. XIV. c. 10.

obtentis, nec non constitutionibus et regulis, etiam iuratis, atque etiam consuetudinibus vel praescriptionibus, etiam immemorabilibus. Si qui vero regulares tam viri quam mulieres sunt, qui sub arctiori regula vel statutis vivunt, excepta facultate habendi bona stabilia in communi, eos ab eorum instituto et observantia sancta synodus amovere non intendit. Et quia sancta synodus desiderat, ut omnia et singula supradicta quam primum exsecutioni demandentur, praecipit omnibus episcopis, in monasteriis sibi subiectis, et in omnibus aliis ipsis in superioribus decretis specialiter commissis, atque omnibus abbatibus et generalibus, et aliis superioribus ordinum supradictorum, ut statim praedicta exsequantur. Et si quid exsecutioni mandatum non sit, episcoporum negligentiam concilia provincialia suppleant et coerceant. Regularium vero capitula provincialia et generalia, et in defectum capitulorum generalium concilia provincialia, per deputationem aliquorum eiusdem ordinis provideant. Hortatur etiam sancta synodus omnes reges, principes, respublicas et magistratus, et in virtute sanctae obedientiae praecipit, ut velint praedictis episcopis, abbatibus ac generalibus, et ceteris praefectis in superius contentae reformationis exsecutione suum auxilium et auctoritatem interponere, quoties fuerint requisiti, ut sine ullo impedimento praemissa recte exsequantur ad laudem Dei omnipotentis.

276. ## DECRETUM DE REFORMATIONE.

C. I. *Cardinales et omnes ecclesiarum praelati modestam suppellectilem et mensam habeant. Consanguineos familiaresve suos ex bonis ecclesiae non augeant.*

Optandum est, ut ii, qui episcopale ministerium suscipiunt, quae suae sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores et sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, et fideles reliquos ad religionem innocentiamque facilius inflammandos, si praepositos suos viderint non ea, quae mundi sunt, sed animarum salutem ac coelestem patriam cogitantes. Haec quum ad restituendam ecclesiasticam disciplinam praecipua esse sancta synodus animadvertat, admonet episcopos omnes, ut secum ea saepe meditantes, factis etiam ipsis ac vitae actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam praedicandi genus, se muneri suo conformes ostendant, in primis vero ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiae, continentiae, ac, quae nos tantopere commendat Deo[44]), sanctae humilitatis exempla petere possint. Quapropter, exemplo Patrum nostrorum in concilio Carthaginensi[45]), non solum iubet, ut episcopi modesta suppellectili et mensa ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitae genere, ac tota eius domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum ac vanitatum contemptum prae se ferat. Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus ecclesiae consanguineos familiaresve suos augere studeant[46]), quum et Apostolorum canones prohibeant[47]), ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent, sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant nec dissipent illorum causa. Immo, quam maxime potest, eos sancta synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in ecclesiam seminarium exstat, penitus deponant. Quae vero de episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunque beneficia ecclesiastica tam saecularia quam regularia obtinentibus pro gradus sui conditione observari, sed et ad sanctae Romanae ecclesiae cardinales pertinere decernit, quorum consilio apud sanctissimum Romanum Pontificem quum universalis ecclesiae administratio nitatur, nefas videri potest, non iis etiam virtutum insignibus ac vivendi disciplina eos fulgere, quae merito omnium in se oculos convertant. 277.

C. II. *A quibus nominatim decreta concilii solenniter recipi et doceri debeant.*

Cogit temporum calamitas et invalescentium haeresum malitia, ut nihil sit praetermittendum, quod ad populorum aedificationem et catholicae fidei praesidium videatur posse pertinere. Praecipit igitur sancta synodus[48]) patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et omnibus aliis, qui de iure vel consuetudine in concilio provinciali interesse debent, ut in ipsa prima synodo provinciali, post finem praesentis concilii habenda, ea omnia et singula, quae ab hac sancta synodo definita et statuta sunt, palam recipiant; nec non veram obedientiam summo Romano Pontifici spondeant et profiteantur; simulque haereses omnes, a sacris canonibus et generalibus conciliis, praesertimque ab hac eadem synodo damnatas, publice detestentur et anathematizent. Idemque in posterum quicunque in patriarchas, primates, archiepiscopos episcoposque promovendi, in prima synodo provinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino observent. Quod si quis ex supradictis omnibus, quod absit, renuerit, episcopi comprovinciales statim summum Romanum Pontificem admonere sub poena divinae indignationis teneantur, interimque ab eiusdem communione abstineant. Ceteri vero omnes, sive in 278.

Sess. XXV. 44) cf. Psalm. CI. 18. Eccles. III. 20. XXXV. 21. Matth. XVIII. 3. seq.

Sess. XXV. 45) c. 7. D. XLI. (conc. Carth. IV. sive Stat. eccl. ant.) cf. infr. inter const ex ant. iure desumpt. per conc. Trid. innovatas. — 46) cf. c. 23. C. XII. qu. 1. (conc. Antioch.) — 47) can. Ap. 39. — 48) cf. Sess. XXIV. c. 2. de ref.

praesenti sive in futurum beneficia ecclesiastica habituri, et qui in synodo dioecesana convenire debent, idem ut supra, in ea synodo, quae primo quoque tempore celebrabitur, faciant et observent; alias secundum formam sacrorum canonum puniantur. Ad haec omnes ii, ad quos universitatum et studiorum generalium cura, visitatio et reformatio pertinet, diligenter curent, ut ab eisdem universitatibus canones et decreta huius sanctae synodi integre recipiantur, ad eorumque normam magistri, doctores et alii in eisdem universitatibus ea, quae catholicae fidei sunt[49]), doceant et interpretentur, seque ad hoc institutum initio cuiuslibet anni solenni iuramento obstringant; sed et si aliqua alia in praedictis universitatibus correctione et reformatione digna fuerint, ab eisdem, ad quos spectat,
279. pro religionis et disciplinae ecclesiasticae augmento emendentur et statuantur. Quae vero universitates immediate summi Romani Pontificis protectioni et visitationi sunt subiectae, has sua Beatitudo per eius delegatos eadem, qua supra, ratione, et prout ei utilius visum fuerit, salubriter visitari et reformari curabit.

C. III. *Excommunicationis gladio temere non utendum. Ubi executio realis aut personalis fieri potest, a censuris abstinendum, iisque civili magistratui se immiscere nefas esto.*

Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est, quum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem. Quapropter excommunicationes illae, quae monitionibus praemissis ad finem revelationis, ut aiunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus praeterquam ab episcopo decernantur, et tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per episcopum examinata[50]), quae eius animum moveat. Nec ad eas concedendas cuiusvis saecularis, etiam magistratus, auctoritate adducatur, sed totum hoc in eius arbitrio et conscientia sit positum, quando ipse pro re, loco, persona aut tempore eas decernendas esse iudicaverit. In causis vero iudicialibus mandatur omnibus iudicibus ecclesiasti-
280. cis, cuiuscunque dignitatis exsistant, ut quandocunque exsecutio realis vel personalis in qualibet parte iudicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo quam definiendo a censuris ecclesiasticis seu interdicto; sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis civilibus, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscunque, etiam laicos, per mulctas

Sess. XXV. 49) Sess. V. de ref. c. 1. — 50) cf. c. 8. (conc. Agath.) c. 41. (conc. Meld.) c. 42. (conc. Arvern.) C. XI. qu. 3. c. 48. X. de sent. exc. V. 39. (Innoc. III.)

pecuniarias, quae locis piis ibi exsistentibus eo ipso, quod exactae fuerint, assignentur, seu per captionem pignorum, personarumque districtionem per suos proprios aut alienos exsecutores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque iuris remedia procedere et causas definire. Quod si exsecutio realis vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga iudicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo praeter alias poenas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, ubi exsecutio realis vel personalis, ut supra, fieri poterit, erit a censuris abstinendum. Sed si dictae exsecutioni facile locus esse non possit, licebit iudici hoc spirituali gladio in delinquentes uti, si tamen delicti qualitas, praecedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet. Nefas autem sit saeculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, sub praetextu, quod contenta in praesenti decreto non sint observata; quum non ad saeculares, sed ad ecclesiasticos haec cognitio pertineat. Excommunicatus vero quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta et communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur[51]), sed, si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de haeresi suspectum procedi possit.

C. IV. *Ubi nimius missarum celebrandarum numerus, statuant* 281.
episcopi, abbates et generales ordinum, quod expedire iudicaverint.

Contingit saepe in quibusdam ecclesiis, vel tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus a testatoribus praescriptis nequeat satisfieri, vel eleemosynam huiusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur qui velit huic se muneri subiicere; unde depereunt piae testantium voluntates, et eorum conscientias, ad quos praedicta spectant, onerandi occasio datur. Sancta synodus, cupiens haec ad pios usus relicta, quo plenius et utilius potest, impleri, facultatem dat episcopis, ut in synodo dioecesana, itemque abbatibus et generalibus ordinum, ut in suis capitulis generalibus re diligenter perspecta possint pro sua conscientia in praedictis ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa haec[52]) quicquid magis ad Dei honorem et cultum atque ecclesiarum utilitatem viderint expedire; ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerunt.

Sess. XXV. 51) cf. e. gr. c. 18. (Isid.) 19. (Stat. eccl. ant.) 25. (Greg I.) 26. (conc. Tol. I.) c. 8. (Alex. III.) c. 9. (Id.) c. 15. 18. 29. 30. 31. 38. 39 (Innoc. III.) X. de sent. exc. — 52) cf. Sess. XXII. c. 6. de ref.

C. V. *Rebus bene constitutis et annexum onus habentibus nihil detrahatur.*

Ratio postulat, ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis or-
282. dinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione seu fundatione aut aliis constitutionibus qualitates aliquae requiruntur, seu certa illis onera sunt iniuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione eis non derogetur. Idem in praebendis theologalibus, magistralibus, doctoralibus aut presbyteralibus, diaconalibus ac subdiaconalibus, quandocunque ita constituta fuerint, observetur, ut eorum qualitatibus vel ordinibus nihil in ulla provisione detrahatur; et aliter facta provisio surreptitia censeatur.

C. VI. *Qui se gerere debeat episcopus quoad visitationem capitulorum exemptorum.*

Statuit sancta synodus, ut in omnibus ecclesiis cathedralibus et collegiatis decretum sub fel. rec. Paulo III.[53]), quod incipit, *Capitula cathedralium*, observetur, non solum quando episcopus visitaverit, sed et quoties ex officio, vel ad petitionem alicuius contra aliquem ex contentis in dicto decreto procedat; ita tamen, ut, quum extra visitationem processerit, infra scripta omnia locum habeant, videlicet, ut capitulum initio cuiuslibet anni eligat ex capitulo duos, de quorum consilio et assensu episcopus vel eius vicarius tam in formando processum quam in ceteris omnibus actibus usque ad finem causae inclusive, coram notario tamen ipsius episcopi, et in eius domo, aut consueto tribunali procedere teneatur. Unum autem tantum sit utriusque votum, possitque alter episcopo accedere. Quod si ambo ab episcopo discordes in aliquo actu seu interlocutoria vel definitiva sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum episcopo tertium eligant, et, si in electione tertii etiam discordent, ad viciniorem episcopum electio devolvatur, et iuxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus, in quo erat dis-
283. cordia, terminetur. Alias processus et inde secuta nulla sint, nullosque producant iuris effectus. In criminibus[54]) tamen ex incontinentia provenientibus, de qua in decreto de concubinariis, et in atrocioribus delictis depositionem aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne iudicium eludatur, et ideo opus sit personali detentione, possit initio solus episcopus ad summariam informationem et necessariam detentionem procedere; servato tamen in reliquis ordine praemisso. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, ut iuxta qualitatem delicti ac personarum delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur. Episcopis praeterea ubique is honor

Sess. XXV. 53) cf. supr. Sess. VI. c. 4. de ref. Sess. XIV. c. 4. de ref. — 54) cf. Sess. XXIV. c. 8. de ref. matr. et hui. Sess. c. 14. de ref.

tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in choro, et in capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis sit prima sedes[55]), et locus, quem ipsi elegerint, et praecipua omnium rerum agendarum auctoritas. Qui si aliquid canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, episcopi ipsi capitulum convocent[56]), vota exquirant, et iuxta ea concludant. Absente vero episcopo omnino hoc ab iis de capitulo, ad quos hoc de iure vel consuetudine spectat, perficiatur, nec ad id vicarius episcopi admittatur. Ceteris autem in rebus capituli iurisdictio et potestas, si qua eis competit, et bonorum administratio salva et intacta omnino relinquatur. Qui vero non obtinent dignitates, nec sunt de capitulo, ii omnes in causis ecclesiasticis episcopo subiiciantur; non obstantibus quoad supradicta privilegiis, etiam ex fundatione competentibus, nec non consuetudinibus, etiam immemorabilibus, sententiis, iuramentis, concordiis, quae tantum suos obligent auctores; salvis tamen in omnibus privilegiis, quae universitatibus studiorum generalium seu earum personis sunt concessa. Haec autem omnia et singula in iis ecclesiis locum non 284.
habeant, in quibus episcopi aut eorum vicarii ex constitutionibus, vel privilegiis, aut consuetudinibus sive concordiis, seu quocunque alio iure maiorem habent potestatem, auctoritatem ac iurisdictionem, quam praesenti decreto sit comprehensum. Quibus sancta synodus derogare non intendit.

C. VII. *Accessus et regressus ad beneficia tolluntur. Coadiutor quo modo, cui et ex qua causa concedendus.*

Quum in beneficiis ecclesiasticis ea, quae hereditariae successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa[57]) et Patrum decretis contraria, nemini in posterum accessus aut regressus, etiam de consensu, ad beneficium ecclesiasticum cuiuscunque qualitatis concedatur; nec hactenus concessi suspendantur, extendantur aut transferantur. Hocque decretum in quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, ac in quibuscunque personis, etiam cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat. In coadiutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscunque beneficiis ecclesiasticis permittantur. Quod si quando ecclesiae cathedralis aut monasterii urgens necessitas aut evidens utilitas postulet praelato dari coadiutorem[58]), is non alias cum futura successione detur, quam haec causa prius diligenter a sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, et qualitates omnes in illo

Sess. XXV. 55) cf. c. 10. D. XCV. (Stat. eccl. ant.) — 56) cf. c. 4. 5. X. de his, quae fiunt a prael. III. 10. (Alex. III.) — 57) cf. c. 5. (Hilar. in syn. Rom.) 7. (conc. Lat. II.) C. VIII. qu. 1. c. 7. 10. 11. X. de fil. presb. I. 17. (Alex. III.) c. 13. ib. (Clem. III.) c. 6. 15. X. de iure patr. III. 38. (Alex. III.) — 58) cf. Sess. XXI. de ref. c. 6. cf. c. 1. 14. C. VII. qu. 1. (Gregor. I.)

285. concurrere certum sit, quae a iure et decretis huius sanctae synodi in episcopis et praelatis requiruntur[59]). Alias concessiones super his factae surreptitiae esse censeantur.

C. VIII. *Administratorum hospitalium munus. Eorum negligentia a quibus et qua ratione coercenda.*

Admonet sancta synodus quoscunque ecclesiastica beneficia saecularia seu regularia obtinentes, ut hospitalitatis officium[60]), a sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum proventus licebit, prompte benigneque exercere assuescant, memores, eos, qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere[61]). Illis vero, qui hospitalia vulgo nuncupata, seu alia pia loca, ad peregrinorum, infirmorum, senum pauperumve usum praecipue instituta, in commendam, administrationem aut quemcunque titulum, aut etiam ecclesiis suis unita obtinent, vel si ecclesiae parochiales hospitalibus forte unitae aut in hospitalia erectae, earumque patronis in administrationem concessae sint, praecipit omnino, ut impositum illis onus officiumve administrent, atque hospitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant iuxta constitutionem concilii Viennensis[62]), alias in hac eadem synodo sub fel. rec. Paulo III. innovatam, quae incipit: *Quia contingit.* Quod si hospitalia haec ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, hec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personae aut perpaucae reperiantur, mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro
286. loco et tempore utilior, convertantur, prout ordinario cum duobus de capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit; nisi aliter forte, etiam in hunc eventum, in eorum fundatione aut institutione fuerit expressum, quo casu quod ordinatum fuit observari curet episcopus, aut, si id non possit, ipse, prout supra, utiliter provideat. Itaque si praedicti omnes et singuli, cuiuscunque ordinis, et religionis et dignitatis, etiam si laici fuerint, qui administrationem hospitalium habent, non tamen regularibus subiecti, ubi viget regularis observantia, ab ordinario moniti hospitalitatis munus, adhibitis omnibus, ad quae tenentur, necessariis re ipsa obire cessaverint, non solum per ecclesiasticas censuras et alia iuris remedia ad id compelli possint, sed etiam hospitalis ipsius administratione curave perpetuo privari possint, aliique eorum loco ab iis, ad quos spectabit, substituantur. Et praedicti nihilominus etiam ad fructuum restitutionem, quos

Sess. XXV. 59) Sess. VII. de ref. c. 1. et 3. Sess. XXII. de ref. c. 2. — 60) cf. c. 2 D. XLII. (Chrysost.) c. un. D. LXXXV. (Greg. I.) c. 2. D. LXXXIX. (Id.) c. 30. C. XII. qu. 2. (Id.) — 61) Matth. XXV. 35. — 62) cf. Sess. VII. de ref. c. 15. — Clem. 2. de relig. dom. III. 11.

contra ipsorum hospitalium institutionem perceperunt, quae nulla eis remissione aut compositione indulgeatur, in foro conscientiae teneantur; nec administratio seu gubernatio huiusmodi locorum uni et eidem personae ultra triennium deinceps committatur, nisi aliter in fundatione cautum reperiatur; non obstante, quoad omnia supradicta, quacunque unione, exemptione et consuetudine in contrarium, etiam immemorabili, seu privilegiis aut indultis quibuscunque.

C. IX. *Quomodo probandum ius patronatus. Cui deferendum munus patronorum. Accessiones vetitae.*

Sicuti legitima patronatuum iura tollere piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est, sic etiam, ut hoc colore beneficia ecclesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit sancta synodus, ut titulus iuris 287.
patronatus sit ex fundatione[63]) vel dotatione, qui ex authentico documento et aliis iure requisitis ostendatur; sive etiam ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum iuris dispositionem. In iis vero personis, seu communitatibus vel universitatibus, in quibus id ius plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet, plenior et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur; nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si praeter reliqua ad eam necessaria praesentationes etiam continuatae, non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio, quae omnes effectum sortitae sint, authenticis scripturis probentur. Reliqui patronatus omnes in beneficiis, tam saecularibus quam regularibus, seu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscunque aliis beneficiis, in cathedrali vel collegiata ecclesia, seu facultates et privilegia concessa tam in vim patronatus, quam alio quocunque iure nominandi, eligendi, praesentandi ad ea, quum vacant, exceptis patronatibus super cathedralibus ecclesiis competentibus, et exceptis aliis, quae ad imperatorem et reges seu regna possidentes, aliosque sublimes ac supremos principes, iura imperii in dominiis suis habentes, pertinent, et quae in favorem studiorum generalium concessa sunt[64]), in totum prorsus abrogata et irrita cum quasi possessione inde secuta intelligantur; beneficiaque huiusmodi tanquam libera a suis collatoribus conferantur ac provisiones huiusmodi plenum effectum consequantur. Ad haec liceat episcopo[65]) praesentatos a patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quod si ad inferiores institutio pertineat, ab episcopo tamen iuxta

Sess. XXV. 63) cf. Sess. XIV. c. 12. c. 25. X. de iure patr. III 38. (Alex. III.) — 64) Sess. XXIV. c. 19. de ref. — 65) cf. Sess. XIV. de ref. c. 13. Sess. XXIV. de ref. c. 18.

288. alias statuta ab hac sancta synodo examinentur; alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit et inanis. Patroni autem beneficiorum, cuiuscunque ordinis et dignitatis, etiam si communitates, universitates, collegia quaecunque clericorum vel laicorum exsistant, in perceptione fructuum[66]), proventuum, obventionum quorumcunque beneficiorum, etiam si vere de iure patronatus ipsorum ex fundatione et dotatione essent, nullatenus nullave causa vel occasione se ingerant; sed illos libere rectori seu beneficiato, non obstante etiam quacunque consuetudine, distribuendos dimittant. Nec dictum ius patronatus venditionis[67]) aut alio quocunque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre praesumant. Si secus fecerint, excommunicationis et interdicti poenis subiiciantur, et dicto iure patronatus ipso iure privati exsistant. Insuper accessiones, per viam unionis factae de beneficiis liberis ad ecclesias iuri patronatus, etiam laicorum, subiectas, tam ad parochiales quam ad alia quaecunque beneficia, etiam simplicia, seu dignitates, vel hospitalia, ita ut praedicta beneficia libera eiusdem naturae cum iis, quibuscum uniuntur, efficiantur, atque sub iure patronatus constituantur, hae si nondum plenarium sortitae sunt effectum, vel deinceps ad cuiusvis instantiam fient, quacunque auctoritate, etiam apostolica, concessae fuerint, simul cum unionibus ipsis per surreptionem obtentae intelligantur; non obstante quacunque in iis verborum forma seu derogatione, quae habeatur pro expressa; nec exsecutioni amplius demandentur, sed beneficia ipsa unita, quum vacaverint, libere ut antea conferantur. Quae vero a quadraginta annis citra factae[68]) effectum et plenam incorporationem sunt consecutae, hae nihilominus ab ordinariis tanquam a sede apostolica delegatis revideantur et examinentur; ac quae per surreptionem
289. vel obreptionem obtentae fuerint, simul cum unionibus irritae declarentur, ac beneficia ipsa separentur, et aliis conferantur. Similiter quoque patronatus quicunque in ecclesiis, quibuscunque aliis beneficiis, etiam dignitatibus antea liberis acquisiti a quadraginta annis citra, et in futurum acquirendi, seu ex augmento dotis, seu ex nova constructione, vel alia simili causa, etiam auctoritate sedis apostolicae, ab iisdem ordinariis, uti delegatis, ut supra, qui nullius in his facultatibus aut privilegiis impediantur, diligenter cognoscantur; et quos non repererint ob maxime evidentem ecclesiae, vel beneficii seu dignitatis necessitatem legitime constitutos esse, in totum revocent, atque beneficia huiusmodi sine damno illa possidentium, et restituto patronis eo, quod ab eis idcirco datum est, in pristinum libertatis statum reducant; non obstantibus privilegiis, constitutionibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Sess. XXV. 66) cf. c. un. X. ut eccles. benef. sine demin. confer. III. 12. (Innoc. III.) — 67) cf. c. 6. 16. X. de iure patr. III. 38. (Alex. III.) — 68) cf. Sess. VII. de ref. c. 6.

C. X. *Iudices a synodo designandi, qui delegentur a sede apostolica; a quibus et ordinariis causae breviter terminandae.*

Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem, et quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causae mandantur, usque adeo haberi non potest, hincque interdum iudicibus non undequaque idoneis causae in partibus delegantur, statuit sancta synodus, in singulis conciliis provincialibus aut dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant iuxta constitutionem Bonifacii VIII.[69]), quae incipit: *Statutum*, et alioquin ad id aptas designari, ut praeter ordinarios locorum iis etiam posthac causae ecclesiasticae ac spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat ordinarius loci cum consilio capituli alium in eius locum usque ad futuram provincialem aut dioecesanam synodum, ita ut habeat quaeque dioecesis quatuor saltem aut etiam plures probatas personas ac ut supra qualificatas, quibus huiusmodi causae a quolibet legato vel nuncio, atque etiam a sede apostolica committantur. Alioquin post designationem factam, quam statim episcopi ad summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quaecunque aliorum iudicum aliis, quam his factae, surreptitiae censeantur. Admonet dehinc sancta synodus tam ordinarios quam alios quoscunque iudices, ut terminandis causis quanta fieri poterit brevitate[70]) studeant, ac litigatorum artibus seu in litis contestatione seu alia parte iudicii differenda modis omnibus aut termini praefixione, aut competenti alia ratione occurrant. 290.

C. XI. *Variae locationes bonorum ecclesiasticorum prohibentur; quaedam factae irritantur.*

Magnam ecclesiis perniciem afferre solet, quum earum bona repraesentata pecunia in successorum praeiudicium aliis locantur. Omnes igitur hae locationes, si anticipatis solutionibus fient, nullatenus in praeiudicium successorum validae intelligantur[71]), quocunque indulto aut privilegio non obstante; nec huiusmodi locationes in Romana curia vel extra eam confirmentur. Non liceat etiam iurisdictiones[72]) ecclesiasticas seu facultates nominandi aut deputandi vicarios in spiritualibus locare, nec conductoribus per se aut alios eas exercere; aliterque concessiones, etiam a sede apostolica factae, surreptitiae censeantur. Locationes vero rerum ecclesiasticarum[73]), etiam auctoritate apostolica confirmatas, sancta syno- 291.

Sess. XXV. 69) c. 11. X. de reser. in VIto I. 3. et infr. inter const. ex ant. iure desumptas per conc. Trid. innovatas. — 70) cf. c. 5. X. de dolo et cont. II. 14. (Innoc. III.) c. 10. ib. (Greg. X.) c. 2. X. de sent. et re iud. II. 27. (Greg. I.) — supr. Sess. XXIV. c. 10. — 71) cf. c. 6. C. X. qu. 2. (leg. Langob.) — 72) cf. c. 1. X. ne praelati vices suas V. 4. (conc. Lat. III.) c. 2 ib. (conc. Turon.) — 73) cf. c. 1. de reb. eccl. non al. in Extr. comm. III. 4.

dus irritas decernit; quas a triginta annis citra ad longum tempus, seu, ut in nonnullis partibus, ad viginti novem, seu bis viginti novem annos vocant factas synodus provincialis, vel deputandi ab ea, in damnum ecclesiae et contra canonicas sanctiones contractas fuisse iudicabunt.

C. XII. *Decimae integre persolvendae. Eas subtrahentes excommunicandi. Rectoribus ecclesiarum tenuium pie subveniendum.*

Non sunt ferendi qui variis artibus decimas ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis solvendas temere occupant, et in rem suam vertunt, quum decimarum solutio debita sit Deo[74]) et qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Praecipit igitur sancta synodus omnibus, cuiuscunque gradus et conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de iure tenentur, in posterum cathedrali aut quibuscunque aliis ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero eas aut subtrahunt[75]) aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine nisi plena restitutione secuta absolvantur. Hortatur dehinc omnes et singulos pro Christiana caritate, debitoque erga pastores suos munere, ut de bonis sibi a Deo collatis episcopis et parochis, qui tenuioribus praesunt ecclesiis, large sub-
292. venire ad Dei laudem atque ad pastorum suorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam non graventur.

C. XIII. *Quartam funeralium cathedrales vel parochiales ecclesiae recipiant.*

Decernit sancta synodus, ut quibuscunque in locis iam ante annos quadraginta quarta[76]), quae funeralium dicitur, cathedrali aut parochiali ecclesiae solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocunque privilegio aliis monasteriis, hospitalibus aut quibuscunque locis piis concessa, eadem posthac integro iure, et eadem portione, qua antea solebat, cathedrali seu parochiali ecclesiae persolvatur; non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscunque.

C. XIV. *Praescribitur ratio procedendi in causis clericorum concubinariorum.*

Quam turpe ac clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiae sordibus immundoque concubinatu

Sess. XXV. 74) cf. Exod. XXII. 29. Levit. XXVII. 30. seq. Num. XVIII. 21. seqq. Tob. I. 6. Malach. III. 10. — c. 66. C. XVI. qu. 1. (Caesar. Arel.) c. 6. (cap. inc.) c. 7. (Cap. Franc.) C. ead. qu. 7. c. 14. X. de dec. et obl. III. 30. (Alex. III.) c. 23. ib. (Coelest. III.) c. 26. ib. (Innoc. III.) et al. — 75) cf. c. 5. C. XVI. qu. 7. (conc. Rothom.) c. 5. X. de dec. (Alex. III.) c. 22. ib. (Coelest. III.) c. 25. 32. ib. (Innoc. III.) Clem. 1. h. t. III. 8. — 76) cf. c. 8. X. de sepult. III. 28. (Luc. III.) c. 2. h. t. in VIto III. 12. (Bonif. VIII.) Clem. 2. h. t. III. 7.

versari, satis res ipsa, communi fidelium omnium offensione summoque clericalis militiae dedecore testatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam ac vitae integritatem ministri ecclesiae revo- 293.
centur, populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit: prohibet sancta synodus quibuscunque clericis, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant; alioquin poenis a sacris canonibus vel statutis ecclesiarum impositis puniantur[77]). Quod si a superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcunque et pensionum ipso facto sint privati[78]); quae fabricae ecclesiae aut alteri pio loco arbitrio episcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem vel alia femina perseverantes secundae monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso amittant, qui praedictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad ordinarius, etiam uti sedis apostolicae delegatus, arbitrabitur, suspendantur; et si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis et pensionibus quibuscunque ecclesiasticis perpetuo priventur[79]), atque inhabiles ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitae emendationem ab eorum superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si, postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, praeter praedictas poenas excommunicationis gladio plectantur. Nec quaevis appellatio aut exemptio praedictam exsecutionem impediat aut suspendat, supradictorumque omnium cognitio non ad archidiaconos, nec decanos aut alios inferiores, sed ad episcopos ipsos pertineat, qui sine stre- 294.
pitu et figura iudicii et sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici vero beneficia ecclesiastica aut pensiones non habentes iuxta delicti et contumaciae perseverantiam et qualitatem ab ipso episcopo carceris poena, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis iuxta sacros canones puniantur. Episcopi[80]) quoque, quod absit, si ab huiusmodi crimine non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti se non emendaverint, ipso facto sint suspensi, et, si perseverent, etiam ad sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem synodo deferantur, qui

Sess. XXV. 77) cf. inter cet. tot. tit. X. de cohab. cler. et mul. III. 2. — 78) cf. c. 4. 6. h. t. (Alex. III.) — 79) cf. c. 2. h. t. (Eugen. II.) c. 3. (Alex. III.) — 80) cf. c. 1. D. XXXIV. (Nic. I.) c. 13. (conc. Neocaes.) c. 16. (Alex. II.) D. LXXXI.

pro qualitate culpae, etiam per privationem si opus erit, in eos animadvertat.

C. XV. *Filii clericorum illegitimi a quibusdam beneficiis arcendi.*

Ut paternae incontinentiae memoria locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat filiis clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent aut habuerunt, quodcunque, etiam dissimile, beneficium obtinere[81]), nec in dictis ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quae parentes eorum obtinent vel alias obtinuerunt, habere. Quod si in praesenti pater et filius in eadem ecclesia beneficia obtinere reperiantur, cogatur filius
295. suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extra ecclesiam intra trium mensium spatium; alias ipso iure eo privatus exsistat, et super iis quaecunque dispensatio surreptitia censeatur. Ad haec reciprocae resignationes, si quae posthac a parentibus clericis in favorem filiorum fient, ut alter alterius beneficium consequatur, in fraudem huius decreti et canonicarum sanctionum factae omnino censeantur, nec collationes secutae vigore huiusmodi resignationum, seu aliarum quarumcunque, quae in fraudem factae fuerint, ipsis clericorum filiis suffragentur.

C. XVI. *Beneficia curata non convertantur in simplicia. Ei, in quem translata fuerit cura animarum, assignetur congrua portio. Vicariae cessent, cura ad titulos revocata.*

Statuit sancta synodus, ut ecclesiastica beneficia saecularia, quocunque nomine appellentur, quae curam animarum ex primaeva eorum institutione aut aliter quomodocunque retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignata vicario perpetuo congrua portione, non convertantur, non obstantibus quibuscunque gratiis, quae suum plenarium effectum non sunt consecutae. In iis vero, in quibus contra earum institutionem seu fundationem cura animarum in vicarium perpetuum translata est, etiam si in hoc statu ab immemorabili tempore reperiantur, si congrua portio fructuum vicario ecclesiae, quocunque nomine is appelletur, non fuerit assignata, ea quam primum et ad minus intra annum a fine praesentis concilii arbitrio ordinarii iuxta formam decreti sub fel. rec. Paulo III.[82]) assignetur. Quod si id commode fieri non possit, aut intra dictum terminum factum non erit, quum primum per cessum vel decessum vicarii seu rectoris aut quomodolibet alterum eorum va-
296. caverit, beneficium curam animarum recipiat, ac vicariae nomen cesset, et in antiquum statum restituatur.

Sess. XXV. 81) cf. tot. tit. X. de fil. presb. I. 17. — 82) Sess. VII. de ref. c. 7.

C. XVII. *Episcopi dignitatem suam morum gravitate commendent; nec cum regum ministris, regulis aut baronibus indigna demissione se gerant.*

Non potest sancta synodus non graviter dolere, audiens episcopos aliquos sui status oblitos pontificiam dignitatem non leviter dehonestare, qui cum regum ministris, regulis et baronibus in ecclesia et extra indecenti quadam demissione se gerunt, et veluti inferiores ministri altaris nimis indigne non solum loco cedunt, sed etiam personaliter illis inserviunt. Quare haec et similia detestans S. synodus sacros canones omnes, conciliaque generalia atque alias apostolicas sanctiones ad dignitatis episcopalis decorem et gravitatem pertinentes renovando praecipit, ut ab huiusmodi in posterum episcopi se abstineant, mandans eisdem, ut, tam in ecclesia quam foris suum gradum et ordinem prae oculis habentes, ubique se patres et pastores esse meminerint; reliquis vero tam principibus quam ceteris omnibus, ut eos paterno honore ac debita reverentia prosequantur.

C. XVIII. *Canones ad amussim servantur. Si quando in eis dis-* 297.
pensandum, id valide, mature et gratis fiat.

Sicuti publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus et necessitatibus pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius legem solvere exemploque potius quam certo personarum rerumque delectu petentibus indulgere nihil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos canones exacte ab omnibus, et, quoad eius fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens iustaque ratio et maior quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita ac summa maturitate atque gratis a quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum, aliterque facta dispensatio surreptitia censeatur.

C. XIX. *Monomachia poenis gravissimis punitur.*

Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo[83]) introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, reges, duces, principes, marchiones, comites, et[84]) quocunque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac iurisdi- 298.
ctione et dominio civitatis, castri aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab ecclesia obtinent, privati intelligantur, et, si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur.

Sess. XXV. 83) cf. c. 22. C. II. qu. 5. (Nic. I.) tot. tit. X. de torneam. V. 13. de cler. pugn. in duello. V. 14. — 84) cf. titt. citt. et tot. tit. X. de homic. V. 12.

Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidae iuxta sacros canones puniri debeant, et, si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in iure quam facto dederint aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur; non obstante quocunque privilegio, seu prava consuetudine, etiam immemorabili.

C. XX. *Quae sunt iuris ecclesiastici principibus saecularibus commendantur.*

Cupiens sancta synodus ecclesiasticam disciplinam in Christiano populo non solum restitui, sed etiam perpetuo sartam tectam a quibuscunque impedimentis conservari, praeter ea, quae de ecclesiasticis personis constituit, saeculares quoque principes officii sui admonendos esse censuit, confidens eos, ut catholicos, quos Deus sanctae fidei ecclesiaeque protectores esse voluit[85]), ius suum ecclesiae restitui non tantum esse concessuros, sed etiam subditos
299. suos omnes ad debitam erga clerum, parochos et superiores ordines reverentiam revocaturos; nec permissuros, ut officiales aut inferiores magistratus ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio seu inconsideratione aliqua violent; sed una cum ipsis principibus debitam sacris summorum Pontificum et conciliorum constitutionibus observantiam praestent. Decernit itaque et praecipit, sacros canones et concilia generalia omnia, nec non alias apostolicas sanctiones, in favorem ecclesiasticarum personarum, libertatis ecclesiasticae, et contra eius violatores editas, quae omnia praesenti etiam decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere. Propterea que admonet imperatorem, reges, resp., principes, et omnes et singulos, cuiuscunque status et dignitatis exstiterint, ut, quo largius bonis temporalibus atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius quae ecclesiastici iuris sunt tanquam Dei praecepta eiusque patrocinio tecta venerentur, nec ab ullis baronibus, domicellis, rectoribus, aliisve dominis temporalibus seu magistratibus, maximeque ministris ipsorum principum laedi patiantur; sed severe in eos, qui illius libertatem, immunitatem atque iurisdictionem impediunt, animadvertant. Quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem ecclesiarumque protectionem exsistant, imitantes anteriores optimos religiosissimosque principes, qui res ecclesiae sua in primis auctoritate ac

Sess. XXV. 85) cf. c. 20. C. XXIII. qu. 5. (Isid.)

munificentia auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt. Adeoque ea in re quisque officium suum sedulo praestet, quo cultus di- 300.
vinus devote exerceri, et praelati ceterique clerici in residentiis et officiis suis quieti, et sine impedimentis cum fructu et aedificatione populi permanere valeant.

C. XXI. *In omnibus salva sedis apost. auctoritas maneat.*

Postremo sancta synodus, omnia et singula, sub quibuscunque clausulis et verbis, quae de morum reformatione atque ecclesiastica disciplina tam sub fel. rec. Paulo III. ac Iulio III., quam sub beatissimo Pio IV., Pontificibus maximis, in hoc sacro concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas sedis apostolicae[86]) et sit, et esse intelligatur.

DECRETUM DE CONTINUANDA SESSIONE IN DIEM SEQUENTEM.

Quum ea omnia, quae in praesenti sessione tractanda erant, quia 301.
hora tarda est, commode expediri non possint, propterea iuxta id, quod in generali congregatione a Patribus statutum fuit, ea quae supersunt, in diem crastinam hanc eandem sessionem continuando differuntur.

CONTINUATIO SESSIONIS
DIE IV. DECEMBRIS.

Decretum de indulgentiis.

Quum potestas conferendi indulgentias a Christo ecclesiae concessa sit, atque huiusmodi potestate[87]) divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta synodus indulgentiarum usum, Christiano populo maxime salutarem et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem iuxta veterem et probatam in ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero[88]), qui in his irrepse-

Sess. XXV. 86) cf. Sess. VII. de ref. in princ. — 87) cf. Matth. XVI. 19. Ioan. XX. 23. — 88) Clem. cf. 2. de poen. et remiss. V. 9.

runt, et quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab haereticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, praesenti decreto generaliter statuit, pravos quaestus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia aut aliunde quomodocunque provenerunt, quum ob multiplices locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus episcopis[89]), ut diligenter quisque huiusmodi abusus ecclesiae suae colligat, eosque in prima synodo provinciali referat, ut, aliorum quoque episcoporum sententia cognita, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur, cuius auctoritate et prudentia quod universali ecclesiae expediet statuatur, ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.

302. *De delectu ciborum, ieiuniis et diebus festis.*

Insuper hortatur sancta synodus, et per sanctissimum Domini nostri atque Salvatoris adventum pastores omnes obtestatur, ut tanquam boni milites illa omnia, quae sancta Romana ecclesia, omnium ecclesiarum mater et magistra, statuit, nec non ea, quae tam in hoc concilio quam in aliis oecumenicis statuta sunt, quibuscunque fidelibus sedulo commendent; omnique diligentia utantur, ut illis omnibus, et iis praecipue sint obsequentes, quae ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus et ieiunia; vel etiam, quae faciunt ad pietatem augendam, ut dierum festorum devota et religiosa celebratio; admonentes populos crebro, obedire praepositis suis[90]), quos qui audiunt Deum remuneratorem audient; qui vero contemnunt Deum ipsum ultorem sentient.

De indice librorum et catechismo, breviario et missali.

Sacrosancta synodus in secunda sessione[91]), sub sanctissimo domino nostro Pio IV. celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, ut de variis censuris ac libris, vel suspectis vel perniciosis, quid facto opus esset considerarent atque ad ipsam sanctam synodum referrent. Audiens nunc, huic operi ab eis extremam manum impositam esse, nec tamen ob librorum varietatem et multitudinem possit distincte et commode a sancta synodo diiudicari, praecipit, ut quicquid ab illis praestitum est sanctissimo Romano Pon-
303. tifici exhibeatur, ut eius iudicio atque auctoritate terminetur[92]) et evulgetur. Idemque de catechismo a Patribus[93]), quibus illud mandatum fuerat, et de missali et breviario fieri mandat.

Sess. XXV. 89) cf. Sess. XXI. de ref. c. 9. — 90) Luc. X. 16. Hebr. XIII. 17. — 91) cf. Sess. XVIII. in princ. — 92) cf. infr. regulas de libris prohib. — 93) cf. supr. Sess. XXIV. de ref. c. 7.

De loco oratorum.

Declarat sancta synodus, ex loco assignato oratoribus[94]), tam ecclesiasticis quam saecularibus, in sedendo, incedendo aut quibuscunque aliis actibus, nullum cuiquam eorum factum fuisse praeiudicium; sed omnia illorum, et imperatoris, regum, rerumpublicarum ac principum suorum iura et praerogativas illaesas et salvas esse, in eodemque statu permanere, prout ante praesens concilium reperiebantur.

De recipiendis et observandis decretis concilii.

Tanta fuit horum temporum calamitas et haereticorum inveterata malitia, ut nihil tam clarum in fide nostra asserenda unquam fuerit, aut tam certo statutum, quod non humani generis hoste suadente illi errore aliquo contaminaverint. Ea propter sancta synodus id potissimum curavit, ut praecipuos haereticorum nostri temporis errores damnaret et anathematizaret, veramque et catholicam doctrinam traderet et doceret, prout damnavit, anathematizavit et definivit. Quumque tamdiu tot episcopi, ex variis Christiani orbis provinciis evocati, sine magna gregis sibi commissi iactura et universali periculo ab ecclesiis abesse non possint, nec ulla spes restet, haereticos, toties, fide etiam publica, quam desiderarunt[95]), invitatos, et tamdiu exspectatos, huc amplius adventuros, ideoque tandem huic sacro concilio finem imponere necesse sit: superest nunc, ut principes omnes, quod facit, in Domino moneat ad operam 304.
suam ita praestandam, ut quae ab ea decreta sunt ab haereticis depravari aut violari non permittant, sed ab his et omnibus devote recipiantur et fideliter observentur. Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quae declarationem, quod non credit, aut definitionem postulant, praeter alia remedia in hoc concilio instituta confidit sancta synodus, beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis praesertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam concilii generalis celebratione, si necessarium iudicaverit, vel commodiore quacunque ratione ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus pro Dei gloria et ecclesiae tranquillitate consulatur.

De recitandis decretis concilii sub Paulo III. et Iulio III. in sessione.

Quoniam diversis temporibus tam sub fel. rec. Paulo III. quam Iulio III.[96]) multa in hoc sacro concilio quoad dogmata ac morum reformationem statuta et definita sunt, vult sancta synodus, ut illa nunc recitentur et legantur.

Recitata sunt.

Sess. XXV. 94) cf. Sess. II. extr. — 95) cf. Sess. XIII. XV. XVIII. extr. — 96) in Sess. V. — VII. XIII. XIV.

De fine concilii et confirmatione petenda a sanctissimo domino nostro.

Illustrissimi domini reverendissimique Patres, placetne vobis, ut ad laudem Dei omnipotentis huic sacrae oecumenicae synodo finis
305. imponatur, et omnium et singulorum, quae tam sub fel. rec. Paulo III. et Iulio III., quam sub sanctissimo domino nostro Pio IV. Romanis Pontificibus in ea decreta et definita sunt, confirmatio nomine sanctae huius synodi per apostolicae sedis legatos et praesidentes a beatissimo Romano Pont. petatur? Responderunt: *Placet.*

Postmodum illustrissimus et reverendissimus cardinalis Moronus, primus legatus et praesidens, benedicens sanctae synodo dixit: POST GRATIAS DEO ACTAS REVERENDISSIMI PATRES ITE IN PACE. *Qui responderunt:* AMEN.

---

306. # ACCLAMATIONES PATRUM IN FINE CONCILII.

CARDINALIS A LOTHARINGIA.

Beatissimo Pio Papae et domino nostro, sanctae universalis ecclesiae pontifici, multi anni et aeterna memoria.

RESPONSIO PATRUM. Domine Deus, sanctissimum Patrem diutissime ecclesiae tuae conserva multos annos.

CARD. Beatissimorum summorum Pontificum animabus, PAULI III. et JULII III., quorum auctoritate hoc sacrum generale concilium inchoatum est, pax a Domino, et aeterna gloria, atque felicitas in luce sanctorum.

RESP. Memoria in benedictione sit.

CARD. CAROLI V. imperatoris, et serenissimorum regum, qui hoc universale concilium promoverunt et protexerunt, memoria in benedictione sit.

RESP. Amen, Amen.

CARD. Serenissimo imperatori FERDINANDO semper augusto, orthodoxo et pacifico, et omnibus regibus, rebuspub. et principibus nostris multi anni.

RESP. Pium et Christianum imperatorem, Domine, conserva; Imperator coelestis, terrenos reges rectae fidei conservatores custodi.

307. CARD. Apostolicae Romanae sedis legatis et in hac synodo praesidentibus cum multis annis magnae gratiae.

RESP. Magnae gratiae; Dominus retribuat.

CARD. Reverendissimis cardinalibus et illustribus oratoribus.

RESP. Magnas gratias, multos annos.

CARD. Sanctissimis episcopis vita, et felix ad ecclesias suas reditus.

RESP. Praeconibus veritatis perpetua memoria; orthodoxo senatui multos annos.

CARD. Sacrosancta oecumenica Tridentina synodus, eius fidem confiteamur, eius decreta semper servemus.

RESP. Semper confiteamur, semper servemus.

CARD. Omnes ita credimus, omnes id ipsum sentimus, omnes consentientes et amplectentes subscribimus. Haec est fides beati Petri et Apostolorum; haec est fides Patrum; haec est fides orthodoxorum.

RESP. Ita credimus, ita sentimus, ita subscribimus.

CARD. His decretis inhaerentes digni reddamur misericordiis et gratia primi et magni supremi sacerdotis, Iesu Christi Dei, in- 308.
tercedente simul inviolata Domina nostra sancta deipara, et omnibus sanctis.

RESP. Fiat, fiat. Amen, Amen.

CARD. Anathema cunctis haereticis.

RESP. Anathema, Anathema.

Post haec mandatum fuit a legatis praesidentibus sub poena excommunicationis omnibus Patribus, ut, antequam discederent e civitate Tridentina, subscriberent manu propria decretis concilii; aut ea per publicum instrumentum approbarent; qui omnes deinde subscripserunt, et fuerunt numero CCLV., *videlicet legati* IV., *cardinales* II., *patriarchae* III., *archiepiscopi* XXV., *episcopi* CLXVIII., *abbates* VII., *procuratores absentium cum legitimo mandato* XXXIX., *generales ordinum* VII.

LAUS DEO.

CONCORDAT CUM ORIGINALI, IN CUIUS FIDEM SUBSCRIPSIMUS.

Ego Angelus MASSARELLUS, Episcopus Thelesinus, sacri concilii Tridentini secretarius.

Ego Marcus Antonius PEREGRINUS, Comensis, eiusdem concilii notarius.

Ego CYNTHIUS Pamphilius, clericus Camerinensis dioecesis, eiusdem concilii notarius.

309.

ORATIO HABITA
IN SESSIONE NONA ET ULTIMA
SACRI CONCILII TRIDENTINI,

CELEBRATA DUOBUS CONTINUIS DIEBUS, TERTIA ET QUARTA DECEMB. MDLXIII.

PIO IV. PONT. MAX.

A. R. P. D. HIERONYMO RAGASONO, VENETO, EPISCOPO NAZIANZENO ET COADIUTORE FAMAUGUSTANO.

Hic summatim recensentur omnia in concilio Tridentino definita, quae ad pie credendum et ad bene vivendum pertinent.

Audite hoc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem. Tridentinum concilium iam diu coeptum, aliquando intermissum, distractum varie atque divulsum, nunc demum, singulari Dei omnipotentis beneficio, summa atque incredibili omnium ordinum ac nationum voluntate connectitur atque perficitur. Dies haec quidem felicissima Christiano populo eluxit, in qua templum Domini disturbatum frequenter ac dissipatum reficitur et absolvitur, et navis haec una bonorum omnium ex maximis ac diuturnis turbinibus atque fluctibus tuta in portu collocatur. Quam utinam conscendere nobiscum ii voluissent, quorum in primis gratia haec ipsa navigatio instituta fuit, atque aedificii huius construendi participes exsisterent, qui hoc nobis negotium exhibuerunt, maioris nunc profecto laetitiae causam haberemus. Sed nostra id certe culpa non accidit.

Nos urbem hanc in Germaniae faucibus, id est in domus illorum fere limine positam elegimus; nos custodiam nullam nobis, ne suspicionem illis aliquam minus liberi loci daremus, adhibuimus; nos eam
310. fidem publicam illis concessimus, quam sibi ipsi composuerunt; nos hic illos perdiu exspectavimus, neque hortari ac rogare unquam destitimus, ut ad veritatis lucem cognoscendam accederent. Verum illis etiam absentibus satis, ut puto, a nobis consultum est. Etenim quum duo essent, in quibus aegris atque infirmis illorum animis medicina fuit adhibenda, alterum fidei catholicae ac vere evangelicae, illis in rebus, quae in dubium ab ipsis vocantur, quaeque opportunae his temporibus viderentur, explicata et confirmata disiectis omnibus ac dissipatis errorum tenebris doctrina; alterum disciplinae ecclesiasticae, cuius potissimum depravatione illi se a nobis defecisse affirmant, restitutio: utrumque, quantum in nobis fuit, pro temporum horum ratione cumulate praestitimus.

Principio enim sancta haec synodus (facta ex laudabili maiorum nostrorum consuetudine suae fidei professione) ut quoddam quasi fundamentum futuris actionibus poneret, et quibus testimoniis atque praesidiis in dogmatibus sanciendis nitendum esset ostenderet, veteris ac novi testamenti libros, qui essent sine ulla dubitatione recipiendi, antiquorum conciliorum probatissimorum exemplo pie et prudenter enumeravit; ac, ne de verbis quidem ulla ex variis versionibus oriri posset difficultas, certam ac definitam de Graecis et Hebraeis translationem approbavit. Hinc omnium haeresum caput atque arcem aggrediens de humanae naturae corruptis initiis ea statuit, quae veritas ipsa, si loqui posset, exprimeret. De iustificatione deinceps (res magna, et cum ab antiquis tum a nostri temporis haereticis mirum in modum oppugnata) ea definivit, quibus et perniciosissimis eo in genere opinionibus occurreretur, et recte sentiendi ratio miro quodam ordine atque admirabili sapientia (ut in illis Dei Spiritum facile agnoscas) demonstraretur. Praestantissimo hoc post hominum memoriam decreto haereses fere universae iugulantur, et, quasi caligo sole, discutiuntur ac dispelluntur; eaque claritas, isque splendor veritatis apparet, ut tantum lumen quin videat dissimulare iam nemo possit. Subsecuta est salutaris septem divinorum ecclesiae sacramentorum tractatio: pri- 311.
mum simul de omnibus, post de unoquoque separatim. Hic vero quis non videt, quam distincte, explicate, abundanter, illuminate et (quod caput est) vere tota coelestium horum mysteriorum ratio contineatur? Quis in tam magna multiplicique doctrina quid aut sequendum aut fugiendum sit potest ullo modo desiderare? Quis in illis omnibus errandi locum aut occasionem inveniet? Quis denique de sacramentorum horum vi atque virtute dubitare in posterum poterit, quum gratiam illam, quae illis ipsis quibusdam quasi stillicidiis in fidelium quotidie mentes illabitur, tunc nobis adfuisse tam copiose perspiciatur? Accesserunt ad haec de sacrosancto missae sacrificio, et de communione sub utraque specie, et parvulorum decreta; quibus quidem nihil sanctius, nihil utilius, ut de coelo lapsa, non ab hominibus composita videantur. Adiungetur his hodie certa de indulgentiis, de purgatorio, de sanctorum veneratione, invocatione, imaginibus et reliquiis doctrina, qua non solum haereticorum fraudibus et calumniis obsistetur, sed piorum etiam catholicorum conscientiis plane satisfiet.

Haec de rebus ad salutem nostram pertinentibus, quae dogmata appellantur, fauste ac feliciter fuerunt peracta; neque aliud quicquam praeterea eo in genere a nobis hoc tempore exspectabitur.

In eorum autem quibusdam administrandis quum nonnulla essent, quae non rite omnino ac recte servarentur, accuratissime, Patres amplissimi, curastis, ut pure illa et caste, atque ex more institutoque maiorum tractarentur. Ita omnem superstitionem, omnem quaestum, omnem (ut dicunt) irreverentiam a divina missarum celebratione abstulistis, vagis, ignotis et criminosis sacerdoti-

bus sanctum hoc offerre sacrificium interdixistis, rei huius sacratissimae usum a privatis domibus et profanis in sacra et religiosa loca revocastis, molliores cantus et symphonias, deambulationes, colloquia, negotiationes a templo Domini summovistis; ita ecclesiastico unicuique gradui leges illae a vobis praescriptae sunt, ut tradito illis divinitus ordine, abutendi nullus utique locus relinqua-
312. tur. Ita nonnulla matrimonii impedimenta, quae ansam quasi quandam ad violanda ecclesiae praecepta dare videbantur, removistis, facilem veniae consequendae viam minus legitime connubii foedus ineuntibus interclusistis. Quid de furtivis tenebricosisque matrimoniis commemorem? Equidem ita sentio, si alia nulla causa convocandi concilium fuisset (quae multae et maximae fuerunt), propter unam hanc id omnino fuisse faciendum. Nam quum res haec ad omnes spectet, neque ullus in orbe terrarum universo angulus reperiatur, quem labes haec non invaserit, curandum merito fuisset, ut communi huic malo communi etiam consilio provideretur. Immemorabilium, Patres sanctissimi, et gravissimorum delictorum ac scelerum occasio, prudentissima ista vestra ac prope divina sanctione penitus ablata est, et Christianae reipub. gubernationi sapientissime consultum. Accedet ad haec utilis in primis ac necessaria multorum in purgatorii, sanctorum venerationis, invocationis imaginum, et reliquiarum, atque etiam indulgentiarum ratione abusuum interdictio, qui rerum ipsarum pulcherrimam faciem inquinare atque turpare mirum in modum videbantur.

Altera vero pars, in qua de labenti ac prope cadenti ecclesiastica disciplina fulcienda erat agendum, diligentissime etiam absoluta fuit atque perfecta. Eligentur in posterum ad ecclesiastica munera obeunda qui virtute, non ambitione praestent, quique populi commodis, non suis inserviant, et prosint potius quam praesint. Enunciabitur atque explanabitur frequentius et studiosius verbum Domini, omni ancipiti gladio penetrantius.

Aderunt suis gregibus et invigilabunt episcopi ceterique, quibus animarum cura commissa est, neque extra creditam sibi custodiam vagabuntur. Nihil cuiquam proderunt aut ad impure et flagitiose vivendum, aut ad male et perniciose docendum privilegia; nullum sine poena crimen, nulla sine praemio virtus relinquetur. Pauperum et mendicantium sacerdotum multitudini optime provisum est; certae unusquisque ecclesiae statutoque operi, unde ali possit, adscribetur.

313. Avaritia, quo nullum vitium est tetrius praesertim in domo Dei, ab ea omnino tolletur; gratis sacramenta omnia, ut par est, conferentur. Ex una ecclesia plures, ex pluribus una, ut populi commodum et ratio postulabit, constituetur. Eleemosynarum quaestores (ut appellant), qui sua, non quae Iesu Christi quaerentes magnum nostrae religioni damnum, magnam infamiam afferebant, ex omni hominum memoria (quod summae felicitatis loco ponendum est) penitus evellentur. Hinc nostra praesens calamitas sumpsit exordium: hinc serpere infinitum malum manareque in dies latius non desistebat, neque occurri illi adhuc multorum conciliorum cautionibus ac provisionibus potuit. Quamobrem quis non nisi sapientissime factum dixerit, ut membrum hoc, in quo sanando diu ac multum frustra laboratum est, ne reliquo corpori noceret, excideretur?

Porro Deo cultus tribuetur purius et accuratius, atque ita qui ferunt vasa Domini mundabuntur, ut ad sui imitationem alios trahant. In quo praeclare illud fuit excogitatum, ut qui sacris essent initiandi iis moribus atque literis in unaquaque ecclesia a prima aetate instituerentur, ut quoddam quasi virtutum omnium seminarium illud exsisteret. Iam vero provincialibus synodis restitutis; visitationibus ad populorum utilitatem, non ad querelam et sumptum renovatis; tradita pastoribus regendi suos atque pascendi commodius facultate; poenitentia publica in usum revocota; hospitalitate tum ecclesiasticis hominibus, tum piis locis indicta; in curatis sacerdotiis conferendis memorabili ac paene coelesti ratione constituta; beneficiorum (ut aiunt) pluralitate sublata; hereditaria sanctuarii Dei possessione prohibita; modo excommunicationibus imposito ac terminato; primis iudiciis iis in locis, ubi lites oriuntur, assignatis; singularibus certaminibus interdictis; omnium hominum ac sacrorum in primis luxuriae, cupiditati atque licentiae freno quasi quodam, quod excuti non facile possit, iniecto; regibus ac principibus sui muneris diligenter admonitis; aliisque rebus huiusmodi prudentissime sancitis: quis non videt vestras vos, PP. optimi, hac etiam in re partes cumulatissime exsecutos? Actum 314.
saepe est in superioribus conciliis de fide nostra explicanda moribusque corrigendis: sed nescio, an unquam diligentius atque distinctius. Hic praesertim hoc biennio, ex omnium populorum ac nationum, in quibus catholicae religionis veritas agnoscitur, non solum Patres, sed oratores habuimus. At quos viros? Si doctrinam spectemus, eruditissimos; si usum, peritissimos; si ingenia, perspicacissimos; si pietatem, religiosissimos; si vitam, innocentissimos. Numerus is quoque fuit, ut, si praesentes Christiani orbis considerentur angustiae, frequentissima haec omnium, quae antea fuerunt, synodus appareat. Hic singula omnium vulnera detecta, mores expositi fuere, nihil dissimulatum est. Nostrorum adversariorum argumenta et rationes ita tractatae, ut eorum tum causa, non nostra agi videretur. Tertium nonnulla atque etiam quartum discussa; summa saepe contentione certatum; eo scilicet consilio, ut, quemadmodum igne aurum, ita quibusdam quasi luctationibus veritatis vires ac nervi probarentur. Quae enim inter idem sentientes idemque spectantes discordia potuit exsistere?

Quae quum ita sint, licet optandum (ut initio dicebam) summopere fuisset, ut una cum illis haec agerentur, quorum potissimum causa tractata sunt: absentium tamen etiam incolumitati atque saluti ita provisum est, ut alia ratione provideri, si adfuissent,

non potuisse videatur. Legant illi quae de fide nostra statuimus, ut Christianum hominem decet, humiliter, et, si lumen eis aliquod fulserit, ne faciem avertant, et, si vocem Domini audierint, corda sua non obdurent, ac si ad communem matris ecclesiae complexum, unde se illi distraxerunt, rédire voluerint, clementiam sibi omnem ac misericordiam tribuendam non dubitent. Sed praecipua illa ratio est, P. A., dissentientes a nobis animos conciliandi, consentientes in fide atque officio retinendi, si quae hoc in loco verbis sancivimus, re ipsi in nostris ecclesiis praestemus. Leges etsi optimae sunt, muta tamen res est. Quid Hebraeo populo Dei ipsius ore la-
315. tae leges profuerunt? Quid Lycurgi leges Lacedaemoniis, Solonis Atheniensibus, ad libertatem retinendam, quam ob causam erant conscriptae, utilitatis attulère? Sed cur externa atque antiqua nimis commemoro? Quae ad bene beateque vivendum instituta atque praecepta ex unius Christi Domini nostri vita atque doctrina desiderare aut possumus aut debemus! Quid item fuit a maioribus nostris omissum, quod cum ad recte sentiendum, tum ad praeclare agendum pertineret? Medicamentum quidem salutare compositum ac paratum iamdiu habemus; verum si morbum debet expellere, sumendum est ac per venas in omne corpus diffundendum. Poculo hoc salutis nos primum inebriemur, carissimi, et vivae atque loquentes leges simus et norma quasi quaedam ac regula, ad quam aliorum actiones et studia dirigantur, atque ita sibi unusquisque persuadeat, nihil e Christianae reip. commodo ac dignitate successurum, nisi quantum in se sit studiose praestiterit.

Id curandum nobis cum antea fuit, tum multo erit in posterum accuratius. Etenim, si magistri nostri ac salvatoris exemplo facere prius debeamus quam docere: postquam docuimus, quin faciamus, quae esse poterit excusatio? Quis ferre nos ac pati poterit, si, quum non furandum esse demonstravimus, ipsi furemur? si quum non moechandum, moechemur! Sanctos a sancto concilio, innocentes atque integros ab integritatis praeceptis et innocentiae, firmos in fide atque constantes a fidei nostrae firmata doctrina discedere minime convenit. Ac tales quidem exspectant nos populi nostri, qui nostrum iamdiu reditum sustinentes ea se ipsi ratione consolabantur, fore, ut hanc temporis usuram maiori praesentes studio sarciremus. Sed fiet id a vobis, ut spero, Patres sanctissimi, diligenter, et, quemadmodum hoc in loco fecistis, ita etiam domi satis Deo atque hominibus facietis. Nunc (quod huius temporis est) Deo primum ipsi maximo atque immortali maximas atque immortales gratias et agamus et habeamus, qui non secundum peccata, quae fecimus nos, neque secundum iniquitates nostras re-
316. tribuit nobis, sed diem hunc laetissimum, quem videre multi concupiverunt, nobis non solum videndum, sed etiam celebrandum incredibili cum totius Christiani populi assensu atque approbatione sua magna benignitate concessit. Pio deinde IV., summo nostro atque optimo Pontifici gratiae perpetuae ac singulares habendae sunt,

qui, quum primum beati Petri sedem ascendit, tanto synodum hanc instaurandi desiderio exarsit, ut in eo suas omnes curas et cogitationes defigeret. Nuncios statim viros probatissimos ad indicendum illis nationibus atque provinciis concilium misit, pro quorum in primis salute convocabatur. Hi aquilonis partes prope omnes peragrarunt, rogarunt, obsecrarunt, obtestati sunt; tuta omnia atque amica promiserunt, atque id etiam egerunt, ut in Angliam traiicerent. Legatos postmodum pietate ac doctrina praestantissimos, quum interesse ille synodo, ut mirum in modum cupiebat, non posset, huc misit, ex quibus duos (quorum memoria in benedictione est) statuta die, tametsi nulli fere episcopi convenissent, hic esse voluit. Hi, atque additus eis paulo post tertius, novem menses atque eo amplius iustum ad synodum instituendam episcoporum numerum hoc in loco nihil agentes exspectaverunt, quum interea nihil aliud Pontifex ipse aut ageret aut meditaretur, quam ut Patres quam plurimi, quam optimi, et quam primum huc accederent, et Christiani nominis reges omnes ac principes suos huc oratores mitterent, ut communi omnium voto atque consilio communis haec causa gravissima omnium atque maxima tractaretur. Quid vero postea omni cura, sollicitudine, sumptibus praetermisit, quod ad concilii huius amplitudinem, libertatem et commodum pertinere aliquo modo videretur? O singularem pastoris ac patris nostri pietatem atque prudentiam! O summam etiam eiusdem felicitatem, cuius auctoritate atque auspiciis iactatum hoc diu et agitatum concilium constitit et conquiescit! Te Paulum III., te Iulium mortuos appello; quamdiu quantoque studio videre quod nos videmus exoptastis? quot in eam rem sumptus, quot labores insumpsistis? Quamobrem vere tibi atque ex animo, Pie sanctissime ac beatissi- 317.
me, gratulamur, quod tantam tibi laetitiam, tantam tuo nomini laudem (id quod maximum divinae in te benevolentiae argumentum est) Dominus reservavit, quem nos precibus omnibus ac votis supplices oramus, ut te nobis incolumem pro ecclesiae suae sanctae commodo atque ornamento et quam citissime reddat, et quam diutissime conservet. Serenissimo etiam imperatori gratias agere, et gratulari iure optimo debemus. Ille potentissimorum caesarum, qui propagandae Christianae religionis miro quodam desiderio flagrarunt, animum, ut locum, referens, urbem hanc ab omni periculo liberam conservavit, et nos, ut tutam tranquillamque pacem traheremus, sua vigilantia perfecit, magnamque nostris animis securitatem assidua trium suorum legatorum summorum virorum praesentia ac prope pignore attulit. Ille de nostris his rebus pro sua eximia pietate sollicitus mirifice fuit.

Ille a se atque a nobis dissentientes homines ex obscurissimis, in quibus versantur, tenebris eruere, atque ad sanctae huius synodi clarissimam lucem aspiciendam adducere maximopere laboravit. Regum praeterea Christianorum ac principum in concilio hoc amplissimis suis legationibus ornando, et suos vestrae auctoritati

fasces submittendo, pia maxime voluntas grata nobis memoria prosequenda est. Iam vero quis est, illustriss. legati et cardinales, qui se vobis debere plurimum non fateatur! Vos nostrarum actionum duces optimi ac moderatores exstitistis. Vos, ne nostra aut in dicendo aut in decernendo libertas violari aliqua ex parte videretur, incredibili patientia ac diligentia curastis. Vos nulli corporis labori, nulli animi contentioni pepercistis, ut ad optatum res exitum, quod alii multi vestri similes frustra tentaverunt, quamprimum perduceretur. In quo praecipuam quandam ac propriam laetitiam habere tu, MORONE illustriss. atque ornatissime, debes, qui, quum vigesimo ab hinc anno primum praeclaro huic aedificio lapidem posueris, extremam nunc manum post alios multos huic operi architectos adhibitos feliciter pro summa tua ac prope divina sa-
318. pientia imponis. Factum hoc tuum egregium ac singulare omnium sermone perpetuo celebrabitur, neque ulla unquam aetas de tuis his laudibus conticescet. Quid de vobis dicam, Patres sanctiss., quam bene de Christiana republ. vestris his praestantissimis actionibus meruistis? quanta vestrum uniuscuiusque nominis commendatio, quanta gloria a Christiano populo universo tribuetur? vos vere Patres, vere pastores et agnoscent omnes et praedicabunt, vobis suam unusquisque vitam atque salutem acceptam libentissime referet. O diem illam populis nostris iucundissimam atque laetissimam, in qua primum revisere illis nos atque amplecti a templi Domini aedificatione redeuntes contigerit.

Sed fac, tu Domine Deus noster, ut tam eximiae de nobis opinioni egregiis factis respondeamus, et semen hoc, quod in agro tuo seminavimus, uberem fructum afferat, fluatque ut ros eloquium tuum, atque, quod fore aliquando pollicitus es, fiat temporibus nostris, ut unum sit omnium ovile, et unus pastor, atque is potissimum Pius IV., in tui nominis gloriam sempiternam. Amen.

CONFIRMATIO CONCILII.

Nos Alexander, sancti Laurentii in Damaso diaconus cardinalis de Farnesio, S. R. E. vicecancellarius, fidem facimus et attestamur, qualiter hodie, die Mercurii, XXVI. Ianuarii MDLXIV., Pontificatus sanctissimi D. nostri D. Pii, divina providentia Papae quarti, anno quinto, in consistorio secreto apud S. Petrum, reverendissimi DD. mei, cardinales Moronus et Simoneta, nuper reversi a sacro concilio Tridentino, cui uti sedis apostolicae legati praeerant, petierunt ab eodem sanctissimo D. nostro ut infra:

Beatissime Pater, in decreto super fine concilii oecumenici Tridentini, pridie nonas Decembris praeteriti publicato, statutum fuit, ut per Sanctitatis vestrae et sanctae sedis apostolicae legatos et praesidentes peteretur nomine dicti concilii a Sanctitate ve-

stra confirmatio omnium et singulorum, quae tam sub fel. rec. 319.
Paulo III. et Iulio III., quam sub Sanctitate vestra in eo decreta et definita sunt. Quapropter nos Ioannes cardinalis Moronus et Ludovicus cardinalis Simoneta, qui tunc legati et praesidentes eramus, volentes exsequi quod in dicto decreto stabilitum fuit, humiliter petimus nomine dicti concilii oecumenici Tridentini, ut Sanctitas vestra dignetur confirmare omnia et singula, quae tam sub fel. rec. Paulo III. et Iulio III. quam sub Sanctitate vestra in eo decreta et definita sunt.

Quibus auditis Sanctitas sua, viso et lecto tenore dicti decreti, et habitis votis reverendissimorum DD. meorum cardinalium, respondit per haec verba:

Petitioni nomine concilii oecumenici Tridentini super eius confirmatione per dictos legatos nobis factae annuentes, omnia et singula, quae in dicto concilio tam sub fel. rec. Paulo III. et Iulio III., praedecessoribus nostris, quam Pontificatus nostri tempore decreta et definita sunt, auctoritate apostolica, etiam de venerabilium fratrum nostrorum cardinalium consilio et assensu, matura cum illis deliberatione praehabita confirmamus, atque ab omnibus Christi fidelibus recipi et inviolabiliter observari mandamus, in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Ita est.

A. Cardinalis FARNESIUS, Vicecancell.

BULLA S. D. N. PII, 320.
DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QUARTI;
SUPER CONFIRMATIONE
OECUMENICI GENERALIS CONCILII TRIDENTINI.

Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui, respicere dignatus ecclesiam suam sanctam, tot procellis et tempestatibus agitatam atque vexatam et gravius in dies laborantem, apto tandem ei subvenit optatoque remedio. Ad plurimas et perniciosissimas haereses exstirpandas, ad corrigendos mores et restituendam ecclesiasticam disciplinam, ad pacem et concordiam Christiani populi procurandam, indictum iam pridem in civitate Tridentina oecumenicum et generale concilium a piae memoriae Paulo III., praedecessore nostro, et sessionibus aliquot habitis coeptum fuerat; ab eius autem successore Iulio in eandem urbem revocatum, post alias sessiones celebratas variis impedimentis et difficultatibus obiectis ne tum qui-

attentari. Ut haec autem ad omnium notitiam perveniant, neve quis excusatione ignorationis uti possit: volumus et mandamus, ut hae literae per aliquos curiae nostrae cursores in basilica Vaticana principis Apostolorum et in ecclesia Lateranensi tunc, quum in eis
324. populus, ut missarum solennibus intersit, congregari solet, palam et clara voce recitentur, et, postquam recitatae fuerint, ad valvas earum ecclesiarum, itemque cancellariae apostolicae, et in loco solito Campi Florae affigantur; ibique, ut legi et omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquantur; quum autem inde admovebuntur, relictis de more ibidem exemplis, in alma Urbe ad impressionem tradantur, quo commodius per Christianas provincias et regna devulgari possint. Transsumptis quoque earum, quae manu alicuius publici notarii scripta subscriptave, et sigillo ac subscriptione alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita fuerint, fidem sine ulla dubitatione haberi, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, monitionis, inhibitionis, reservationis, voluntatis, mandatorum et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, septimo Kalend. Februarii, Pontificatus nostri anno quinto.

Ego Pius *Catholicae Ecclesiae Episcopus.*

Ego F. Card. Pisanus, Episcopus Ostien. Decanus.
Ego Fed. Card. Coesius, Episcopus Portuen.
Ego Io. Card. Moronus, Episcopus Tusculan.
Ego A. Card. Farnesius, Vicecan. Episcop. Sab.
. . . . . .
Ego R. Card. S. Angeli, Maior Poeniten.
. . . . . .
Ego Io. B. Cardinalis S. Vitalis.
Ego Io. Michaël, Card. Saracenus.
. . . . . .
Ego Io. B. Cicada, Card. S. Clementis
Ego Scipio, Card. Pisarum.
Ego Io. Card. Reumanus.
325. *Ego F. M. G. Card. Alexandrinus.*
Ego F. Clemens, Card. Arae coeli.
Ego Io. Card. Sabellus.
. . . . . .
Ego B. Card. Salviatus.
Ego Ph. Card. Aburd.

Ego Lud. Card. Simoneta.
. . . . . .
Ego F. Card. Pacieccus y de To.
Ego M. A. Card. Amulius.
Ego Io. Franc. Card. de Gambara.
Ego Carolus Card. Borromaeus.
Ego M. S. Card. Const.
Ego Alph. Card. Gesualdus.
Ego Hip. Card. Ferrar.
Ego Franciscus, Card. Gonzaga.
. . . . . .
Ego Gui. Asc. Diac. Card. Cam.
Ego Vitellocius, Card. Vitellius.
. . . . . .
. . . . . .

Ant. Florebellus Lavellinus.
H. Cumyn.

BULLA S. D. N. D. PII, 326.
DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QUARTI,
SUPER DECLARATIONE TEMPORIS
AD OBSERVANDA DECRETA SACRI, OECUMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI.

Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sicut ad sacrorum conciliorum decreta ac canones auctoritas atque confirmatio apostolicae sedis et debet et solet accedere, ita, si quae super eis exorta sit dubitatio, eiusdem sedis iudicio et declaratione tollenda est. Ad aures nostras pervenit, multos esse, qui dubitent, ex quo tempore coeperint decreta sacri generalis concilii Tridentini, ad reformationem et ius positivum duntaxat spectantia, eos, ad quos pertinent, obligare, illa praesertim, quae tempora certa praestituunt ad provinciales dioecesanasque synodos celebrandas, ad sacros ordines suscipiendos, ad religionem profitendam, ad parochiales ecclesias aliaque beneficia ecclesiastica, quae eiusdem concilii decretis retineri prohibitum sit, resignanda, et ad complures res huiusmodi exsequendas, ac alias omnes ad praedictam reformationem iusque positivum tantum spectantes, quae observari

aut evitari debeant. Nos itaque, ut omnis controversia dubitatio-
que tollatur, motu proprio eam rem, prout rationi, iuri et aequi-
tati convenire censuimus, duximus declarandam. Nam etsi ipsius
concilii decreta etiam de venerabilium fratrum nostrorum sanctae
327. Romanae ecclesiae cardinalium consilio et assensu, in consistorio
nostro secreto confirmata a nobis fuerunt sub finem mensis Ianuarii,
et ab eo etiam tempore apud hanc sanctam sedem observari coeperunt, quia tamen non parum temporis in eis Romae diligenter emendateque imprimendis necessario consumptum fuit, et iure etiam communi sancitum est, ut constitutiones novae vim nonnisi post certum tempus obtineant, aequum nobis et iustum visum est, praedicta decreta omnia ad dictam reformationem iusque positivum duntaxat spectantia, a Kalend. Maii proxime praeteriti omnes obligare coepisse, neque post eam diem excusationem cuiusquam, quod ea ignoraverit, admittendam, atque ita apostolica auctoritate declaramus ac definimus, et ab omnibus iudicari debere mandamus atque statuimus; decernentes irritum et inane, si quid secus a quoquam quacunque dignitate, auctoritate et potestate praedito contigerit iudicari; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aliisque in contrarium facientibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, definitionis, mandati, statuti et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, quintodecimo Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

Fed. Card. CAESIUS.

Cae. GLORIERIUS.

H. CUMYN.

Registrata apud CAESAREM Secretarium.

Anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo
328. *quarto, indictione septima, die vero vigesima mensis Iulii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri Domini Pii, divina providentia* PAPAE IV., *anno quinto retroscriptae literae affixae, lectae et publicatae fuerunt in valvis basilicarum principis Apostolorum de Urbe, et sancti Ioannis Lateran. necnon Cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae. Per nos Iacobum Carra, et Iulium Parinum, praelibati S. D. N.* PAPAE *cursores.*

Antonius CLERICI, Magister Cursorum.

MOTUS PROPRIUS
S. D. N. D. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QUARTI.

Deputantur octo cardinales, qui faciant observari constitutiones et ordinationes a Pio IV. editas, nec non decreta sacri oecumenici et generalis concilii Tridentini.

PIUS PAPA IV.

Motu proprio, etc. Alias nos nonnullas constitutiones et ordinationes, reformationem maioris poenitentiarii ac sacrae poenitentiariae nostrae, ac vicarii nostri, ac eius officii, nec non camerarii et camerae apostolicae, ac illius causarum auditoris, nec non palatii apostolici causarum auditorum, ac gubernatoris et capitolinae curiarum, et contradictarum aliorumque almae Urbis nostrae ac Romanae curiae tribunalium et officiorum concernentes, edidimus, quae tamen (ut intelleximus) ab eorundem officiorum et tribunalium praefectis ac officialibus minus diligenter observantur. Quum autem enixae nostrae voluntatis sit, illa ut, et pariter decreta sacri concilii Tridentini, in his, quae ad eorum officia spectant, ab eisdem omnino observentur: Nos propterea considerantes, parum esse iura concedere, nisi sint qui ea exsecutioni demandari faciant, et in praemissis, prout ex debito pastoralis officii nobis (meritis licet imparibus) iniuncti obligamur, salubriter et utiliter providere, praefatasque constitutiones et ordinationes ac decreta concilii, quas et 329.
quae hic haberi volumus pro expressis, inviolabiliter observari volentes: venerabili fratri nostro Ioanni episcopo Tusculan. Morono, Io. Michaeli Sanctae Anastasiae Saraceno, ac Io. Baptistae S. Clementis Cicadae, nec non Michaëli S. Sabinae Alexandrino, Clementi S. Mariae in Ara coeli, Ludovico sancti Cyriaci in Thermis Simonetae, ac Carolo Sancti Martini in Montibus Borromaeo Presbyteris, necnon Vitellotio S. Mariae in porticu Vitellio nuncupatis titulorum, diacono, cardinalibus committimus et mandamus, quatenus ipsi, seu eorum maior pars, coniunctim vel divisim, eorum arbitrio, etiam tanquam exsecutores dictarum literarum, constitutionum et decretorum praedictorum, constitutiones et ordinationes ac decreta praefata, iuxta tenores eorum ac literarum desuper confectarum, per quoscunque poenitentiariae, vicariae et camerae ac tribunalium praedictorum iudices et officiales, sub excommunicationis latae sententiae ac privationis officiorum, et aliis eisdem cardinalibus bene visis, etiam pecuniarum eo ipso incurrendis poenis, firmiter observari faciant et cum effectu, (nisi tam in exsecutione dictorum decretorum concilii, quam dictarum literarum nostrarum, aliqua dubietas aut difficultas emerserit, quo casu ad nos referant), in-

vocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, ac eos, qui literis et decretis praedictis, et eorundem cardinalium mandatis non paruerint, ex nunc, prout ex eadem die, et e contra, illorum officiis privatos, nec non ad illa et alia Romanae curiae officia in posterum obtinenda inhabiles, ac ipsis ab eisdem officiis sic privatis, illa tanquam per privationem vacantia a datario nostro vendi, et a quibusvis personis idoneis pro pretio convenienti emi, libere et licite posse auctoritate nostra curent, nuncient, decer-
330. nant ac declarent, prout nos harum serie nunciamus, decernimus et declaramus; non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac poenitentiariae, et curiarum, nec non tribunalium praedictorum statutis etc., etiam iuramento etc. roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis ac dictis officialibus et tribunalibus sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu simili et alias quomodocunque concessis, etc. Quibus omnibus etc. illorum tenores etc. hac vice latissime derogamus, eamque adversus praemissa nullatenus suffragari volumus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Placet Motu Proprio I.

Dat. Romae apud Sanctum Marcum, quarto Nonas Augusti, anno quinto.

BULLA S. D. N. D. PII,
DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QUARTI,
SUPER FORMA IURAMENTI PROFESSIONIS FIDEI.

Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Iniunctum nobis apostolicae servitutis officium requirit, ut ea, quae Dominus omnipotens ad providam ecclesiae suae directionem sanctis Patribus in nomine suo congregatis divinitus inspirare dignatus est, ad eius laudem et gloriam incunctanter exsequi properemus. Quum itaque iuxta concilii Tridentini dispositionem omnes,
331. quos deinceps cathedralibus et superioribus ecclesiis praefici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus et aliis quibuscunque beneficiis ecclesiasticis curam animarum habentibus provideri continget, publicam orthodoxae fidei professionem facere, seque in Romanae ecclesiae obedientia permansuros spondere et iurare teneantur: Nos volentes, etiam per quoscunque, quibus de monasteriis, conventibus, domibus et aliis quibuscunque locis regularium quorumcunque ordinum, etiam militarium, quocunque nomine vel

titulo providebitur, idem item servari, et ad hoc, ut unius eiusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque et certa illius forma cunctis innotescat, nostrae sollicitudinis partes, in hoc alicui minime desiderari, formam ipsam praesentibus annotatam publicari, et ubique gentium per eos, ad quos ex decretis ipsius concilii et aliis praedictos spectat, recipi et observari, ac sub poenis per concilium ipsum in contravenientes latis, iuxta hanc et non aliam formam, professionem praedictam solenniter fieri, auctoritate apostolica tenore praesentium districte praecipiendo mandamus, huiusmodi sub tenore:

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo S. Romana ecclesia utitur, videlicet: „Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium; et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelo, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, 332.
cuius regni non erit finis; et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas; et unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.“ Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vera et proprie sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solenni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et de-

functis, atque in sanctissimo eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi. Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari; similiter et sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque in-
333. *vocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero, imagines Christi ac deiparae semper Virginis, nec non aliorum sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam; indulgentiarum etiam potestatem a Christo in ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam catholicam et apostolicam Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori ac Iesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque haereses quascunque ab ecclesia damnatas et reiectas reiicio, et anathematizatas ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et immaculatam, usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adiuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia.*

Volumus autem quod praesentes literae in cancellaria nostra apostolica de more legantur. Et ut omnibus facilius pateant, in eius quinterno describantur, ac etiam imprimantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Idibus Novemb., Pontificatus nostri anno quinto.

Fed. CARDINALIS Caesius.
Cae. GLORIERIUS.

334. *Lectae et publicatae fuerunt suprascriptae literae Romae in cancellaria apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, die vero sabbati, nona mensis Decembris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et domini nostri, domini Pii Papae quarti, anno quinto.*

A. LOMELLINUS Custos.

BULLA S. D. N. PII,

DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QUARTI.

Revocantur privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, conservatoriae, indulta etc., quibuscunque locis et personis concessa, in his, in quibus statutis et decretis sacri concilii Tridentini contrariantur.

Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

In principis Apostolorum sede, meritis licet imparibus, divina dispositione constituti, nihil neque universali ecclesiae, curae et sollicitudini nostrae commissae, salubrius, neque iniuncto nobis apostolicae servitutis officio decentius praestare possumus, quam quod providentiae nostrae ministerio oecumenicum concilium Tridentinum, sicut nostris potissimum auspiciis, summaque sanctorum Patrum concordia per Dei misericordiam feliciter absolutum fuit, ita per universos, qui Christiana pietate censentur, ubique suscipiatur, et remotis quibuslibet obstaculis ab omnibus aequaliter observetur. Quum itaque in eodem concilio quamplurima salubria et ad universalem morum reformationem valde utilia decreta atque 335.
statuta, maturo praesentium ipsorum examine praecedente, sint edita, quibus multa atque diversa privilegia, exemptiones, immunitates, dispensationes, facultates, conservatoriae, indulta, et, ut vocant, confessionalia, et mare magnum, et aliae gratiae, quae variis, tam cathedralibus, etiam metropolitanis, quam collegiatis ecclesiis, monasteriis, conventibus, et aliis religiosis, etiam fratrum mendicantium domibus et ordinibus, nec non sancti Spiritus in Saxia, sancti Ioannis Lateranensis, ac incurabilium de Urbe, sancti Antonii Viennensis et sancti Bernardi Iurensis aliisque hospitalibus, militiis, eorumque capitulis et conventibus, ac universitatibus, etiam studiorum generalium collegiis, tam saecularibus quam ecclesiasticis, confraternitatibus, societatibus, et tam principis Apostolorum de Urbe, quam aliis fabricis, sanctae Cruciatae, aliisque piis locis et operibus, nec non patriarchis, archiepiscopis, episcopis, praelatis, abbatibus, abbatissis, prioribus, praepositis, et aliis ecclesiasticis, tam saecularibus quam diversorum ordinum et militiarum regularibus, ac etiam laicis cuiuscunque dignitatis, et status ac gradus, et excellentiae, ac etiam ducali, regia et imperiali dignitate fulgentibus utriusque sexus personis, nec non aliqui-

bus notariis, et etiam de latere legatis atque nunciis, tam perpetuo quam ad tempus, per plures Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et sedem apostolicam eiusque legatos hactenus, etiam motu proprio, et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, seu etiam imperatorum, regum, ducum, et aliorum principum contemplatione et intuitu, etiam de fratrum consilio, diversimode, variisque temporibus, in genere vel specie, ex quavis etiam honesta causa concessa, et etiam pluries confirmata et innovata fuerunt, in plerisque contrariantur: Nos, quibus in primis cordi est, tam sancta et ecclesiae Dei saluberrima decreta suos, ut par est, effectus ubique consequi, et ab omnibus obedienter observari, privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium, maris
336. magni, et aliarum gratiarum praedictarum, ac quarumcunque apostolicarum et aliarum literarum desuper confectarum, processuumque, decretorum et aliorum inde secutorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis, et plene insertis habentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, quod eadem omnia et singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, conservatoriae, indulta, confessionalia, mare magnum, et aliae gratiae in his omnibus et singulis, in quibus illa statutis et decretis concilii huiusmodi contrariantur, ipso iure revocata, cassata et annullata, ac ad ipsius concilii terminos atque limites reducta sint et esse censeantur, nec quicquam adversus ipsa decreta et statuta, quo minus ubique et apud omnes observentur, in aliquo suffragari posse, sed ea perinde haberi et reputari debere, ac si nunquam emanassent, auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus, ac etiam statuimus et ordinamus. Decernentes nihilominus omnia et singula, quae vigore privilegiorum, exemptionum, immunitatum et dispensationum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium et aliarum quarumcunque gratiarum huiusmodi, post id tempus, quo concilium obligare coepit, facta et gesta quomodolibet fuerunt et in posterum fient, in his, in quibus dicti concilii decretis adversantur, nulla, invalida et irrita esse et censeri, ac nemini, etiam quantumlibet, ut praefertur, qualificato, tam in foro (quod aiunt) fori, quam conscientiae, suffragari posse et debere. Et ita per quoscunque locorum ordinarios, aliosque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, in utroque foro iudicari et definiri debere, ac quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus; non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino ho-
337. minum liceat hanc paginam nostrae declarationis, statuti, ordinationis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si

quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, tertio decimo Kalend. Martii, Pontificatus nostri anno sexto.

Cae. GLORIERIUS.
P. Episcopus NARNIEN.
H. CUMYN.

Anno a Nativitate D. millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, indictione sexta, die vero vigesima quarta mensis Februarii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et D. nostri, domini PII, *divina providentia* PAPAE IV., *anno eius sexto, retroscriptae literae apostolicae affixae et publicatae fuerunt in acie Campi Floraе, et valvis cancellariae apostolicae, per nos Nicolaum de Matthaeis, et Camillum Cherubinum S. D. N. Papae cursores.*

Philibertus PHAPUIS Magister Cursorum.

DE LIBRIS PROHIBITIS 338.

REGULAE DECEM

PER PATRES A TRIDENTINA SYNODO DELECTOS CONCINNATAE, ET A PIO PAPA IV. COMPROBATAE.

REGULA I.

Libri omnes, quos ante annum MDXV. aut summi Pontifices, aut concilia oecumenica damnarunt, et in hoc indice non sunt, eodem modo damnati esse censeantur, sicut olim damnati fuerunt.

REGULA II.

Haeresiarcharum libri, tam eorum, qui post praedictum annum haereses invenerunt vel suscitarunt, quam qui haereticorum capita aut duces sunt vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Balthasar Pacimontanus, Swenchfeldius, et his similes, cuiuscunque nominis, tituli aut argumenti exsistant, omnino prohibentur. Aliorum autem haereticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur. Qui vero de religione non tractant, a theologis catholicis iussu episcoporum et inquisitorum examinati et approbati permittuntur. Libri etiam catholici conscripti, tam ab illis, qui postea in haeresim lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad ecclesiae gremium rediere, appro-

bati a facultate theologica alicuius universitatis catholicae, vel ab inquisitione generali, permitti poterunt.

339. REGULA III.

Versiones scriptorum etiam ecclesiasticorum, quae hactenus editae sunt a damnatis auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant, permittuntur. Librorum autem veteris testamenti versiones viris tantum doctis et piis iudicio episcopi concedi poterunt, modo huiusmodi versionibus tanquam elucidationibus vulgatae editionis ad intelligendam sacram scripturam, non autem tanquam sano textu utantur. Versiones vero novi testamenti ab auctoribus primae classis huius indicis factae nemini concedantur, quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet. Si quae vero annotationes cum huiusmodi, quae permittuntur, versionibus, vel cum vulgata editione circumferuntur, expunctis locis suspectis a facultate theologica alicuius universitatis catholicae, aut inquisitione generali, permitti eisdem poterunt, quibus et versiones. Quibus conditionibus totum volumen bibliorum, quod vulgo biblia Vatabli dicitur, aut partes eius concedi viris piis et doctis poterunt. Ex bibliis vero Isidori Clarii Brixiani prologus et prolegomena praecidantur; eius vero textum nemo textum vulgatae editionis esse existimet.

REGULA IV.

340. Quum experimento manifestum sit, si sacra biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte iudicio episcopi aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere praesumpserit, nisi prius bibliis ordinario redditis peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolae vero, qui praedictam facultatem non habenti biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab episcopo convertendum amittant, aliisque poenis pro delicti qualitate eiusdem episcopi arbitrio subiaceant. Regulares vero non nisi facultate a praelatis suis habita ea legere aut emere possint.

REGULA V.

Libri illi, qui haereticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cuiusmodi sunt lexica, concordantiae, apophthegmata, similitudines, indices et huiusmodi, si quae habeant admixta, quae

expurgatione indigeant, illis episcopi et inquisitoris una cum theologorum catholicorum consilio sublatis aut emendatis, permittantur.

REGULA VI.

Libri vulgari idiomate de controversiis inter catholicos et haereticos nostri temporis disserentes non passim permittantur; sed idem de iis servetur, quod de bibliis vulgari lingua scriptis statutum est. Qui vero de ratione bene vivendi, contemplandi, confitendi ac similibus argumentis vulgari sermone conscripti sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur prohibeantur, sicut nec sermones populares vulgari lingua habiti. Quod si hactenus in aliquo regno vel provincia aliqui libri sunt prohibiti, quod nonnulla continerent, quae sine delectu ab omnibus legi non expediat, si eorum auctores catholici sunt, postquam emendati fuerunt, permitti ab episcopo et inquisitore poterunt. 341.

REGULA VII.

Libri, qui res lascivas seu obscoenas ex professo tractant, narrant aut docent, quum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur, et qui eos habuerint severe ab episcopis puniantur. Antiqui vero ab ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam et proprietatem permittuntur; nulla tamen ratione pueris praelegendi erunt.

REGULA VIII.

Libri, quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quae ad haeresim seu impietatem, divinationem seu superstitionem spectant, a catholicis theologis inquisitionis generalis auctoritate expurgati concedi possint. Idem iudicium sit de prologis, summariis seu annotationibus, quae a damnatis auctoribus, libris non damnatis, appositae sunt. Sed posthac non nisi emendati excudantur.

REGULA IX.

Libri omnes et scripta geomantiae, hydromantiae, aeromantiae, pyromantiae, oneiromantiae, chiromantiae, necromantiae, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicae, prorsus reiiciuntur. Episcopi vero diligenter provideant, ne astrologiae iudiciariae libri, tractatus, indices legantur vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quae ab humana voluntate pendent, certi aliquid eventurum affirmare audent. Permittuntur autem iudicia et naturales observationes, quae navigationis, agriculturae sive medicae artis iuvandae gratia conscripta sunt. 342.

REGULA X.

343. In librorum aliarumve scripturarum impressione servetur quod in concilio Lateranensi sub Leone X. Sess. 10. statutum est*). Quare, si in alma urbe Roma liber aliquis sit imprimendus, per vicarium summi Pontificis et sacri palatii magistrum, vel personas a sanctissimo domino nostro deputandas, prius examinetur. In aliis vero locis ad episcopum vel alium habentem scientiam libri vel scripturae imprimendae, ab eodem episcopo deputandum, ac inquisitorem haereticae pravitatis eius civitatis vel dioecesis, in qua impressio fiet, eius approbatio et examen pertineat, et per eorum manum propria subscriptione gratis et sine dilatione imponendam sub poenis et censuris in eodem decreto contentis approbetur, hac lege et conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum et manu auctoris subscriptum, apud examinatorem remaneat; eos vero, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati probatique fuerint, iisdem poenis subiici debere iudicarunt Patres deputati, quibus impressores; et qui eos habuerint et legerint, nisi auctores prodiderint, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, et in fronte libri vel scripti vel impressi authentice appareat, probatioque et examen, ac cetera gratis fiant. Praeterea in singulis civitatibus ac dioecesibus domus vel loci, ubi ars impressoria exercetur, et bibliothecae librorum venalium saepius visitentur a personis ad id deputandis ab episcopo sive eius vicario, atque etiam ab inquisitore haereticae pravitatis, ut nihil eorum, quae prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur. Omnes vero librarii et quicunque librorum venditores habeant in suis bibliothecis indicem librorum venalium, quos habent, cum subscriptione dictarum personarum, nec alios libros habeant, aut vendant, aut quacunque ratione tradant sine licentia eorundem deputandorum, sub poena amissionis librorum, et aliis arbitrio episcoporum vel inquisitorum imponendis. Emptores vero, lectores vel impressores eorundem arbitrio puniantur. Quod si aliqui libros quoscunque in aliquam civitatem introducant, teneantur eisdem personis deputandis renunciare, vel, si locus publicus mercibus eiusmodi constitutus sit, ministri publici eius loci praedictis personis significent libros esse adductos. Nemo vero audeat librum, quem ipse vel alius in civitatem introduxit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare aut commodare, nisi ostenso prius libro, et habita licentia a personis deputandis, aut nisi notorie constet, librum iam esse omnibus permissum. Idem quoque servetur ab heredibus et exsecutoribus ultimarum voluntatum, ut libros a defunctis relictos sive eorum indicem illis personis deputandis offerant, et ab iis licentiam obtineant, priusquam eis utantur, aut in alias personas quacunque ratione transferant. In his autem omnibus et singulis poena statuatur vel amissionis librorum, vel alia, arbitrio eorundem episcoporum vel inquisitorum, pro qualitate contumaciae vel delicti.

344.

*) cf. infr. inter doc. conc. Trid. spectantia.

Circa vero libros, quos Patres deputati examinarunt aut expurgarunt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus ut rursus excuderentur concesserunt, quicquid illos statuisse constiterit, tam bibliopolae quam ceteri observent. Liberum tamen sit episcopis aut inquisitoribus generalibus, secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis regnis aut provinciis vel dioecesibus expedire iudicaverint. Ceterum nomina cum librorum, qui a Patribus deputatis purgati sunt, tum eorum, quibus illi hanc provinciam dederunt, eorundem deputatorum secretarius notario sacrae universalis inquisitionis Romanae descripta sanctissimi domini nostri iussu tradidit. 345.

Ad extremum vero omnibus fidelibus praecipitur, ne quis audeat contra harum regularum praescriptum, aut huius indicis prohibitionem libros aliquos legere aut habere. Quod si quis libros haereticorum vel cuiusvis auctoris scripta, ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. Qui vero libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, praeter peccati mortalis reatum, quo afficitur, iudicio episcoporum severe puniatur.

BULLA S. D. N. PII DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QUARTI.

Approbatio indicis librorum prohibitorum, cum regulis firmatis per Patres a S. concilio Tridentino deputatos; et prohibitio hos libros habendi et legendi.

Pius Papa VI., ad futuram rei memoriam.

Dominici gregis custodiae Domino disponente praepositi, vigilis more pastoris non desistimus ipsi gregi ab imminentibus periculis quanta maxima possumus cura et diligentia praecavere, ne propter negligentiam nostram pereant oves, quae pretiosissimo Domini nostri Iesu Christi sanguine sunt redemptae. Etsi autem quae ad fidei veritatem patefaciendam et ad horum temporum haereses confutandas pertinebant in oecumenico et generali concilio Tridentino sancti Spiritus assistente gratia nuper adeo enucleata ac definita fuerunt, ut facile iam sit unicuique sanam catholicamque doctrinam a falsa adulterinaque internoscere; tamen, quum librorum ab haereticis editorum lectio non modo simpliciores homines 346.

corrumpere soleat, verum saepe etiam doctos eruditosque in varios errores et a veritate fidei catholicae alienas opiniones inducere, huic quoque rei esse duximus providendum.

Quum autem aptissimum ei malo remedium esse sciremus, si componeretur atque ederetur index sive catalogus librorum, qui vel haeretici sint, vel de haeretica pravitate suspecti, vel certe moribus et pietati noceant, id negotium ad sacram Trident. synodum reieceramus; ea vero ex tanta episcoporum et aliorum doctissimorum virorum copia delegit ad eum conficiendum indicem multos cum doctrina tum iudicio insignes praelatos ex omnibus fere nationibus. Qui quidem non sine maximo labore plurimisque vigiliis eum indicem tandem Deo iuvante perfecerunt, adhibitis etiam in concilium lectissimis quibusdam theologis. Peracto autem concilio, quum ex ipsius synodi decreto is index nobis oblatus fuisset, ut ne ante ederetur, quam a nobis approbatus fuisset, nos doctissimis quibusdam probatissimisque praelatis eum accuratissime legendum examinandumque tradidimus, et ipsi etiam legimus.

Quum igitur eum magno studio, acri iudicio, diuturna cura confectum, et praeterea commodissime digestum esse cognoverimus: Nos saluti animarum consulere, eamque ob causam providere cupientes, ne libri et scripta cuiuscunque generis, quae in eo improbantur sive ut haeretica, sive ut de haeretica pravitate suspecta, sive ut pietati ac morum honestati inutilia, aut aliqua correctione
347. saltem indigentia, posthac a Christi fidelibus legantur, ipsum indicem una cum regulis ei praepositis auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, imprimique ac divulgari, et ab omnibus universitatibus catholicis, ac quibuscunque aliis ubique suscipi, easque regulas observari mandamus atque decernimus; inhibentes omnibus et singulis, tam ecclesiasticis personis saecularibus et regularibus, cuiuscunque gradus, ordinis et dignitatis sint, quam laicis quocunque honore ac dignitate praeditis, ne quis contra earum regularum praescriptum aut ipsius prohibitionem indicis libros ullos legere habereve audeat.

Si quis autem adversus eas regulas prohibitionemque fecerit, is quidem, qui haereticorum libros vel cuiusvis auctoris scripta propter haeresim vel falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit habueritve, ipso iure in excommunicationis poenam incidat, eamque ob causam in eum tanquam de haeresi suspectum inquiri et procedi liceat, praeter alias poenas super hoc ab apostolica sede sacrisque canonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit habueritve, praeter peccati mortalis reatum episcoporum arbitrio severe se noverit puniendum; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sede sit indultum, ne excommunicari possint per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Ut haec autem ad omnium notitiam perveniant, neve quis excusatione ignorationis uti possit, volumus et mandamus, ut hae literae per aliquos nostrae curiae cursores in basilica Vaticana principis Apostolorum, et in ecclesia Lateranensi tunc, quum in eis populus, ut missarum solennibus intersit, congregari solet, palam et clara voce recitentur, et postquam recitatae fuerint, ad valvas earum ecclesiarum, itemque cancellariae apostolicae, et in loco 348.
solito Campi Florae affigantur, ibique, ut legi et omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquantur. Quum autem inde amovebuntur, earum exempla in iisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem et affixionem omnes et singulos, qui his literis comprehenduntur, post tres menses a die publicationis et affixionis earum numerandos, volumus perinde adstrictos et obligatos esse, ac si ipsismet illae editae lectaeque fuissent. Transsumptis quoque earum, quae manu alicuius publici notarii scripta subscriptave, et sigillo ac subscriptione alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita fuerint, fidem sine ulla dubitatione haberi mandamus atque decernimus.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 24. Martii 1564., Pontificatus nostri anno quinto.

Antonius FLORESELLUS Lavellinus.

---

349. # CONSTITUTIONES
EX ANTIQUO IURE DESUMPTAE
ET
PER CONCILIUM TRIDENTINUM MEMORATAE
VEL AB IPSO SPECIATIM INNOVATAE.

CONCILIUM CARTHAGINENSE.

Ex Decreti parte I., Dist. XLI., cap. 7.

(Sess. XXV. de ref. cap. 1.)

Episcopus vilem suppellectilem et mensam, ac victum pauperem habeat, et dignitatis suae auctoritatem fide et vitae meritis quaerat. Hospitium quoque non longe ab ecclesia habeat.

CONCILIUM CHALCEDONENSE.

Ex Decreti parte I., Dist. LXX., cap. 1.

(Sess. XXIII. de ref. cap. 16.)

Neminem absolute ordinari presbyterum, vel diaconum, vel quemlibet in ecclesiastica ordinatione constitutum, nisi manifeste in ecclesia civitatis sive possessionis, aut in martyrio, aut in monasterio, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicatae vocabulum. Eos
350. autem, qui absolute ordinantur, decrevit sancta synodus vacuam habere manus impositionem, et nullum tale factum valere ad iniuriam ipsius, qui eum ordinavit.

ALEXANDER III., IN CONCILIO LATERANENSI.

Ex lib. I. Decretalium, tit. VI. de electione et electi potestate, c. 7.

(Sess. VII. de ref. cap. 1)

Quum in cunctis sacris ordinibus et ecclesiasticis ministeriis sint aetatis maturitas, gravitas morum et literarum scientia inquirendae, multo fortius in episcopo haec oportet inquiri, qui, ad aliorum curam positus, in se ipso debet ostendere, qualiter alios in domo Dei oporteat conversari. Ea propter, ne quod de quibusdam pro

necessitate temporis factum est trahatur a posteris in exemplum, praesenti decreto statuimus, ut nullus in episcopum eligatur, nisi qui iam trigesimum annum aetatis exegerit, et de legitimo matrimonio sit natus; qui etiam vita et scientia commendabilis demonstretur.

ALEXANDER III.

Ibid. §. *Inferiora.*

(Sess. XXIV. de reform. c. 12.)

Inferiora etiam ministeria, ut puta decanatum, archidiaconatum, et alia, quae curam animarum habent annexam, nullus omnino suscipiat, sed nec parochialis ecclesiae regimen, nisi qui iam vigesimum quintum annum aetatis attigerit, et scientia et moribus commendandus exsistat. Quum autem assumptus fuerit, si archidiaconus in diaconum, et decanus et reliqui admoniti non fuerint praefixo a canonibus tempore in presbyteros ordinati, et ab isto removeantur officio, et aliis conferatur, qui et velint et possint illud convenienter implere. Nec prosit eis appellationis refugium, si forte 351.
in constitutionis istius transgressionem per appellationem voluerint se tueri. Hoc sane non solum de promovendis, sed etiam de his, qui iam promoti sunt, si canones non obsistant, praecipimus observari.

ALEXANDER III. IN CONCILIO LATERANENSI.

Ex lib. III. Decretalium, tit. IV. de clericis non residentibus, c. 3.

(Sess. VII. de ref. cap. 3.)

Quia nonnulli, modum avaritiae non ponentes, dignitates diversas ecclesiasticas et plures ecclesias parochiales contra sacrorum canonum instituta nituntur accipere, ut, quum unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vindicent plurimorum, ne id de cetero fiat districtius inhibemus. Quum igitur ecclesia vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quaeratur, quae residere in loco, et curam eius per se ipsam valeat exercere. Quodsi aliter actum fuerit, et qui receperit quod contra sacros canones accepit amittat, et qui dederit largiendi potestate privetur.

ALEXANDER III.

Ex lib. III. Decretal., tit. XLVIII. de ecclesiis aedificandis vel reparandis, c. 3.

(Sess. XXI. de reform. cap. 4.)

Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod villa, quae dicitur H., tantum perhibetur ab ecclesia parochiali distare, ut tempore hiemali, quum pluviae inundant, non possint parochiani sine

352. magna difficultate ipsam adire; unde non valent congruo tempore ecclesiasticis interesse officiis. Quia igitur dicta ecclesia ita dicitur reditibus abundare, quod, praeter illius villae proventus, minister illius convenienter valet sustentationem habere, mandamus, quatenus, si res ita se habet, ecclesiam ibi aedifices, et in ea sacerdotem, sublato appellationis obstaculo, ad praesentationem rectoris ecclesiae maioris cum canonico fundatoris assensu instituas, ad sustentationem suam eiusdem villae obventiones ecclesiasticas percepturum; providens tamen, ut competens in ea honor pro facultate loci matrici servetur, quod quidem fieri posse videtur, quum eiusdem villae dominus viginti acras terrae frugiferae velit ad usus sacerdotis conferre. Si vero persona matricis ecclesiae virum idoneum praesentare distulerit, vel opus illud voluerit impedire, tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci, et virum bonum, appellationis cessante diffugio, instituere non omittas.

BONIFACIUS VIII.

Ex Sexto Decretalium lib. I., tit. III. de rescriptis, c. 11.

(Sess. XXV. de reform. cap. 10.)

Statutum, quod circa iudices a sede apostolica deputandos nuper edidimus, quum quaedam contenta in eo, quae pro cummuni utilitate credebantur inducta, (sicut experientia docuit), tendere dignoscantur ad noxam, sanctione praesenti, quam irrefragabiliter observari mandamus, suadente utilitate in melius duximus reformandum. Sancimus igitur, ut nullis, nisi dignitate praeditis, aut personatum obtinentibus, seu ecclesiarum cathedralium canonicis, causae auctoritate literarum sedis apostolicae vel legatorum eius
353. de cetero committantur; nec audiantur alibi, quam in civitatibus vel locis insignibus, ubi possit commode copia peritorum haberi.

BONIFACIUS VIII.

Ex Sexto Decretalium lib. III., tit. II. de clericis coniugatis, c. un.

(Sess. XXIII. de ref. c. 6.)

Clerici, qui cum unicis et virginibus contraxerunt, si tonsuram et vestes deferant clericales, privilegium retineant canonis ab Innocentio secundo praedecessore nostro editi in favorem totius ordinis clericalis. [c. 29. C. XVII. qu. 4.] Et quum iuxta Parisiense concilium [c. 2. X. de foro comp. II. 2.] nullus clericus distringi debeat aut condemnari a iudice saeculari, praesenti declaramus edicto, huiusmodi clericos coniugatos pro commissis ab eis excessibus vel delictis trahi non posse criminaliter aut civiliter ad iudicium saeculare, nec ab ipsis saecularibus iudicibus eos debere personaliter vel etiam pecunialiter (ne per unam viam concedatur eisdem iudicibus quod per aliam denegatur) ullatenus condemnari. In ceteris autem, vel nisi, ut praemittitur, tonsuram vel vestem deferant clericales, etiam in praemissis eos gaudere nolumus privilegio clericali.

BONIFACIUS VIII.

Ex Sexto Decretalium lib. III., tit. III. de clericis non residentibus in ecclesia vel praebenda, c. un.

(Sess. XXIV. de ref. c. 12.)

Consuetudinem, quae in quibusdam partibus inolevit, qua canonici et alii beneficiati seu clerici cathedralium et aliarum collegiatarum ecclesiarum distributiones quotidianas (quae alias manualia 354.
beneficia seu victualia nuncupantur, et tantum residentibus tribuuntur) qualitercunque in civitatibus seu aliis locis, in quibus ipsae consistunt ecclesiae, sint praesentes, licet divinis officiis non intersint, ex integro percipiunt, ac si continuo in ipsis ecclesiis in eisdem officiis deservirent, penitus improbantes, statuimus, ut distributiones ipsae quotidianae, in quibuscunque rebus consistant, canonicis ac aliis beneficiatis, et clericis ecclesiarum ipsarum, qui eisdem officiis in ipsis ecclesiis adfuerint, tribuantur iuxta ecclesiae cuiuslibet ordinationem rationabilem iam factam, seu etiam faciendam. Qui vero aliter de distributionibus ipsis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitatis excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas; immo ad omnium restitutionem, quae contra huiusmodi constitutionem nostram receperit, teneatur. De distributionibus etiam pro defunctorum anniversariis largiendis idem decernimus observandum.

BONIFACIUS VIII.

Ex Sexto Decretalium lib. III., tit. XVI. de statu regularium, c. un.

(Sess. XXV. de regul. et monial. cap. 5.)

Periculoso et detestabili quarundam monialium statui (quae honestatis laxatis habenis, et monachali modestia sexusque verecundia impudenter abiectis, extra sua monasteria nonnunquam per habitacula saecularium personarum discurrunt, et frequenter intra eadem monasteria personas suspectas admittunt, in illius, cui suam integritatem voluntate spontanea devoverunt, gravem offensam, religionis opprobrium et scandalum plurimorum) providere salubriter cupientes, praesenti constitutione perpetuo irrefragabiliter valitura sancimus, universas et singulas moniales praesentes atque fu- 355.
turas, cuiuscunque religionis sint vel ordinis, in quibuslibet mundi partibus exsistentes, sub perpetua in suis monasteriis debere de cetero permanere clausura, ita, quod nulli earum religionem tacite vel expresse professae sit vel esse valeat quacunque ratione vel causa (nisi forte tanto et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo seu

scandalo commorari) monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas, nullique aliquatenus inhonestae personae, nec etiam honestae (nisi rationabilis et manifesta causa exsistat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia) ingressus vel accessus pateat ad easdem; ut sic a publicis et mundanis conspectibus separatae, omnino servire Deo valeant liberius, et (lasciviendi opportunitate sublata) eidem corda sua et corpora in omni sanctimonia diligentius custodire. Sane ut hoc salutare statutum commodius valeat observari, districtius inhibemus, ne in monasteriis ordinum non mendicantium aliquae recipiantur de cetero in sorores, nisi quot poterunt de ipsorum monasteriorum bonis sive proventibus absque penuria sustentari; si secus actum fuerit, irritum decernentes.

Verum quando abbatissa vel prioriss a cuiusvis monasterii, pro feudo, quod monasterium ipsum tenet ab aliquo principe seu domino temporali, sibi debebit homagium vel fidelitatis sacramentum praestare (nisi quod per procuratorem illud praestet, possit efficere apud eum) de monasterio cum honesta et decenti societate exire poterit eo casu licenter; homagio facto, quamprimun commode poterit, seu fidelitatis praestito sacramento, ad ipsum monasterium e vestigio reversura sic, quod in fraudem residentiae sive morae claustralis nihil fiat omnino.

Porro ne moniales causam seu occasionem habeant evagandi, principes saeculares ac alios dominos temporales rogamus, requirimus et obsecramus per viscera misericordiae Iesu Christi, eisdem
356. in remissionem peccaminum nihilominus suadentes, quod abbatissas ipsas et priorissas, ac moniales quascunque, monasteriorum suorum curam, administrationem negotiave gerentes, quibuscunque nominibus censeantur, per procuratores in suis tribunalibus seu curiis litigare permittant, ne pro constituendis procuratoribus (qui adornati in aliquibus partibus nuncupantur) seu aliis eiusmodi easdem oporteat evagari. Si qui vero contra praesumpserint, exhortationi huiusmodi rationabili atque sanctae obtemperare nolentes, quum sit iuri contrarium, quod mulieres (praesertim religiosae) per se ipsas litigare cogantur, et a via deviet honestatis, et periculum animarum inducant, ad hoc per suos ordinarios ecclesiasticos censura ecclesiastica compellantur. Episcopis autem et aliis praelatis superioribus et inferioribus quibuscunque iniungimus, quod et ipsi causas seu negotia, quae praefatae moniales habebunt agere, coram ipsis, aut in curiis eorundem, sive sint homagia, fidelitatis sacramenta, lites, vel quicquid aliud, ipsa per procuratores earum fieri faciant et tractari.

Et quoniam parum esset condere iura, nisi essent qui ea exsecutioni debite demandarent, patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis universis districte in virtute sanctae obedientiae, sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae praecipiendo mandamus, quatenus eorum quilibet in civitate ac dioecesi propria in monasteriis monialium sibi ordinario iure subiectis sua, in iis vero, quae ad Romanam immediate spectant ecclesiam, sedis apostolicae auctoritate; abbates vero et alii tam exempti quam non exempti praelati ecclesiarum, monasteriorum et ordinum quorumcunque, in monasteriis huiusmodi sibi subiectis de clausura convenienti, ubi non est, ipsorum monasteriorum expensis et fidelium eleemosynis, quas ad hoc procurent diligentius faciendas, et de ipsis monialibus includendis, quam primum commode poterunt providere, procurent, si divinae ac nostrae indignationis voluerint acrimoniam evitare; contradictores atque rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii saecularis. Per hoc 357.
autem in monasteriis exemptis ordinarii locorum quoad alia nullam sibi credant iurisdictionem vel potestatem aliquatenus attributam.

CLEMENS V. IN CONCILIO VIENNENSI.

Ex Clementinis lib. I., tit. VI. de aetate et qualitate et ordine praeficiendorum, cap. 2.

(Sess. XXIV. de reform. cap. 4.)

Ut ii, qui divinis in cathedralibus vel collegiatis, saecularibus vel regularibus ecclesiis sunt mancipati officiis, vel mancipabuntur in posterum, ad suscipiendos sacros ordines propensius inducantur, statuimus, ut nullus de cetero in huiusmodi ecclesiis vocem in capitulo habeat (etiamsi hoc sibi ab aliis libere concedatur), nisi saltem in subdiaconatus ordine fuerit constitutus. Illi vero, qui dignitates, personatus, officia vel praebendas, quibus certi ordines sunt annexi, pacifice nunc obtinent in eisdem ecclesiis, vel obtinuerint in futurum, nisi (iusto impedimento cessante) ad huiusmodi ordines se promoveri fecerint intra annum, ex tunc, donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in capitulo habeant earundem; ipsisque distributionum, quae dantur iis, qui certis horis intersunt, pars dimidia subtrahatur, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus vel statutis. Poenis aliis, quae contra tales promoveri ad ordines recusantes statuuntur in iure, nihilominus in suo robore permansuris.

CLEMENS V. IN CONCILIO VIENNENSI. 358.

Ex Clementinis lib. III., tit. I. de vita et honestate clericorum, c. 2.

(Sessio XIV. de reform. cap. 6.)

Quoniam qui abiectis vestibus proprio congruentibus ordini alias assumere, et in publico portare rationabili causa cessante praesumit, professorum illius ordinis praerogativa se reddit indignum, praesenti constitutione sancimus, quod quicunque clericus virgata vel partita veste publice utetur (nisi causa rationabilis subsit), si

beneficiatus exstiterit, per sex menses a perceptione fructuum beneficiorum, quae obtinet, sit eo ipso suspensus; si vero beneficiatus non fuerit, in sacris tamen ordinibus citra sacerdotium constitutus, per idem tempus reddatur eo ipso inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum.

Idem quoque censemus de clericis aliis, vestem talarem simul et tonsuram publice deferentibus clericalem. Dignitatem vero, personatum seu beneficium aliud obtinens, cui cura immineat animarum, nec non ceteri in sacerdotio constituti, ac religiosi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinseci morum intrinsecam honestatem ostendere, si (praeterquam ex causa rationabili) publice vestem ferant huiusmodi, aut infulam seu pileum lineum publice portent in capite, sint eo ipso, beneficiati videlicet, a perceptione fructuum beneficiorum, quae obtinent, suspensi per annum. Ceteri vero sacerdotes et religiosi quilibet per idem tempus reddantur inhabiles ad quodcunque beneficium ecclesiasticum obtinendum. Sed et tales et ceteri quicunque clerici utentes epitogio seu tabardo foderato usque ad oram, et ita brevi, quod vestis inferior notabiliter videatur, epitogium ipsum saeculares clerici et reli-
359. giosi administrationem habentes teneantur intra mensem dare pauperibus; ceteri vero religiosi administrationem habentes intra idem tempus illud teneantur suis superioribus assignare, in pios usus aliquos convertendum. Alioquin beneficiati suspensionis, ceteri vero inhabilitatis poenas praedictas per idem tempus se noverint incurrisse.

Huic insuper adiicimus sanctioni, ut clerici, praesertim beneficiati, caligis scacatis, rubeis aut viridibus publice non utantur.

CLEMENS V. IN CONCILIO VIENNENSI.

Ex Clementinis lib. III., tit. XI. de religiosis domibus, cap. 2.

(Sess. VII. de reform. cap. 15, et Sess. XXV. de reform. cap. 8.)

Quia contingit interdum, quod xenodochiorum, leprosariarum, eleemosynariarum seu hospitalium rectores, locorum ipsorum cura postposita, bona, res et iura ipsorum interdum ab occupatorum et usurpatorum manibus excutere negligunt, quinimmo ea collabi et deperdi, domos et aedificia ruinis deformari permittunt, et non attento, quod loca ipsa ad hoc fundata et fidelium erogationibus dotata fuerunt, ut pauperes infectique lepra reciperentur inibi, et ex proventibus sustentarentur illorum, id renuunt inhumaniter facere, proventus eosdem in usus suos damnabiliter convertentes; quum tamen ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva quidem sedis apostolicae auctoritate) converti: nos incuriam et abusum huiusmodi detestantes, hoc sacro concilio approbante sancimus, ut ii, ad quos id de iure vel statuto in ipsorum fundatione locorum apposito, aut ex consuetudine praescripta legitime, vel privilegio sedis apostolicae pertinet, loca ipsa studeant in praedictis omnibus salubriter reformare, ac occupata, deperdita et alienata indebite, in statum 360.
reduci debitum faciant, et ad ipsarum miserabilium personarum receptionem et sustentationem debitam, iuxta facultates et proventus locorum ipsorum, rectores praedictos compellere non omittant. In quo si forte commiserint negligentiam vel defectum, ordinariis locorum iniungimus, ut, etiamsi pia loca praedicta exemptionis privilegio munita consistant, per se ipsos vel alios impleant omnia praemissa et singula, et rectores eosdem utique non exemptos propria, exemptos vero et alios privilegiatos apostolica ad id auctoritate compellant; contradictores, cuiuscunque status aut conditionis exsistant, aut praebentes eisdem circa praemissa consilium, auxilium vel favorem, per censuram ecclesiasticam et aliis iuris remediis compescendo; nullum tamen per hoc exemptionibus seu privilegiis ipsis quoad alia praeiudicium generando. Ut autem praemissa promptius observentur, nullus ex locis ipsis saecularibus clericis in beneficium conferatur, etiamsi de consuetudine (quam reprobamus penitus) hoc fuerit observatum, nisi in illorum fundatione secus fuerit constitutum, seu per electionem sit de rectore locis huiusmodi providendum. Sed eorum gubernatio viris providis, idoneis et boni testimonii committatur, qui sciant, velint et valeant loca ipsa, bona eorum ac iura utiliter regere, et eorum proventus et reditus in personarum usum miserabilium fideliter dispensare, et quos in usus alios bona praedicta convertere praesumptio verisimilis non exsistat; in quibus sub obtestatione divini iudicii, illorum, ad quos dictorum locorum commissio pertinet, conscientias oneramus. Illi etiam, quibus dictorum locorum gubernatio seu administratio committetur, ad instar tutorum et curatorum iuramentum praestare, ac de locorum ipsorum bonis inventaria conficere, et ordinariis, seu aliis, quibus subsunt loca huiusmodi, vel deputandis ab eis, annis singulis de administratione sua teneantur reddere rationem. Quod si secus a quoquam fuerit attentatum, collationem, provisionem seu ordinationem ipsam carere decernimus omni 361.
robore firmitatis. Praemissa vero ad hospitalia militarium ordinum aut religiosorum etiam aliorum extendi minime volumus. Quorum tamen hospitalium rectoribus in sanctae obedientiae virtute mandamus, ut in illis secundum suorum ordinum instituta et antiquas observantias providere pauperibus, et hospitalitatem debitam in illis tenere procurent; ad quod per superiores eorum arcta districtione cogantur, statutis aut consuetudinibus quibuslibet non obstantibus in praemissis. Ceterum nostrae intentionis exsistit, quod si quae hospitalia, altare vel altaria, et coemeterium ab antiquo habentia, et presbyteros celebrantes, et sacramenta ecclesiastica pauperibus ministrantes, seu in parochiales rectores consueverint in illis exercere, praemissa antiqua consuetudo servetur quoad exercenda et ministranda spiritualia supradicta.

EUGENIUS IV.

Ex lib. V. Extravagantium communium, tit. de privilegiis, cap. 3.

(Infirmatur Sess. XXIII. de reform. cap. 1, et Sess. XXIV. de reform. cap. 11.)

Divina in eminenti sedis apostolicae specula disponente clementia constituti, ad ea libenter intendimus, per quae officiales praedictae sedis obsequiis eius (ad quam velúti fidelium omnium matrem pro animarum salute quaerenda et iustitia prosequenda de diversis mundi partibus confluit multitudo) tutius et quietius se promptiores valeant exhibere. Hinc est, quod nos ex certis rationabilibus causis moti, etiam nonnullorum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, districtius inhibemus locorum ordinariis, nec non commissariis et delegatis eorum, ceterisque universis et singulis, quacunque potestate et auctoritate praefulgeant, cuiuscunque
362. dignitatis, gradus vel praeeminentiae fuerint, ne contra officiales praefatos, quocunque nomine nuncupentur, in nostris et dictae sedis obsequiis nunc et pro tempore exsistentes, nec non quoscunque alios pro suis, et eorum causis vel negotiis prosequendis ad sedem praedictam venientes, ac in ea (durante negotiorum et causarum huiusmodi prosecutione) moram trahentes, et recedentes ab eadem, procedere, aut in eos excommunicationis, suspensionis vel interdicti, aut privationis officiorum aut beneficiorum, seu quamvis aliam sententiam promulgare praesumant.

Nos enim omnes et singulos processus et sententias contra tenorem et mentem nostrae inhibitionis huiusmodi latas et habitas, et in posterum habendas ac etiam promulgandas, et quaecunque inde secuta, declaramus nulla, irrita et inania, nulliusque exstitisse vel exsistere roboris vel momenti. Nec non quicquid in contrarium a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari, etiam decernimus irritum et inane, et nihilominus in omnes et singulos ordinarios, et officiales, commissarios, delegatos eorum, qui se de dignitatibus ac beneficiis ecclesiasticis quibuscunque officialium aut negotia huiusmodi apud dictam sedem prosequentium praedictorum, eos illis forsan privando, atque privatos decernendo seu declarando, vel cuiuscunque privato praetextu illa personis aliis conferendo, seu de illis in eos quomodolibet se intromittendo, tam in dantes quam in recipientes excommunicationis, suspensionis et interdicti latas sententias promulgamus, quas volumus eos ipso facto incurrere; a qua quidem excommunicationis sententia absolvi nequeant, nisi a nobis vel per nos deputandis, praeterquam in mortis articulo constituti.

Praemissa autem a die affixionis praesentium ad valvas basilicae principis Apostolorum de Urbe, ex certa scientia quoscunque ligare volumus et arctare. Non obstantibus apostolicis, et quibuscunque generalibus aut provincialibus aut synodalibus conciliis, edictis,

constitutionibus, ordinationibus et apostolicis privilegiis, per quae effectus praesentium impediri posset quomodolibet vel differri, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus habenda esset in praesentibus mentio specialis, et quae praesentibus volumus habere pro sufficienter expressis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo, etc. 363.
Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae 1432. octavo Idus Martii, Pontificatus nostri secundo.

GREGORIUS X. IN CONCILIO LUGDUNENSI.

Ex Sexto Decretalium lib. I., tit. VI. de electione et electi potestate, cap. 14.

(Sessio VII. de reform. cap. 3.)

Licet canon, a felicis recordationis Alexandro Papa III. praedecessore nostro editus, inter cetera statuerit, ut nullus regimen ecclesiae parochialis suscipiat, nisi vigesimum quintum aetatis annum attigerit, ac scientia et moribus commendandus exsistat, quodque talis ad regimen assumptus huiusmodi, si monitus non fuerit, praefixo a canonibus tempore in presbyterum ordinatus, a regiminis eiusdem amoveatur officio, et alii conferatur; quia tamen in observatione canonis memorati se multi exhibent negligentes, nos periculosam illorum negligentiam volentes iuris exsecutione suppleri, praesenti decreto statuimus, ut nullus ad regimen parochialis ecclesiae assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia et aetate; decernentes, collationes de parochialibus ecclesiis iis, qui non attigerint vigesimum quintum annum, de cetero faciendas viribus omnino carere. Is etiam, qui ad huiusmodi regimen assumetur, ut gregis sibi crediti diligentius curam quaerere possit, in parochiali ecclesia, cuius rector is exstiterit, residere personaliter teneatur, et intra annum, a sibi commissi regiminis tempore numerandum, se faciat ad sacerdotium promoveri. Quod si intra idem tempus pro- 364.
motus non fuerit, ecclesia sibi commissa (nulla etiam praemissa monitione) sit praesentis constitutionis auctoritate privatus. Super residentia vero, ut praemittitur, facienda, possit ordinarius gratiam dispensationis ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcit.

GREGORIUS X. IN CONCILIO LUGDUNENSI.

Ex Sexto Decretalium lib. I., tit. XVI. de officio ordinarii, cap. 3.

(Sess. VII. de reform. cap. 5.)

Ordinarii locorum subditos suos plures dignitates vel ecclesias, quibus animarum cura imminet, obtinentes, seu personatum aut dignitatem cum alio beneficio, cui cura similis est annexa, districte compellant dispensationes, auctoritate quarum huiusmodi ecclesias, personatus seu dignitates canonice tenere se asserunt, intra tempus pro facti qualitate ipsorum ordinariorum moderandum arbitrio exhibere. Quod si forte iusto impedimento cessante nullam

dispensationem intra idem tempus contigerit exhiberi, ecclesiae beneficia, personatus seu dignitates, quae sine dispensatione aliqua eos ipsos illicite detineri constabit, per eos, ad quos eorum collatio pertinet, libere personis idoneis conferantur. Ceterum si dispensatio exhibita sufficiens evidenter appareat, exhibens nequaquam in beneficiis huiusmodi, quae canonice obtinet, molestetur. Provideat tamen ordinarius, qualiter nec animarum cura in eisdem ecclesiis, personatibus, seu dignitatibus negligatur, nec beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur. Si vero de dispensationis exhibitae sufficientia dubitetur, super hoc erit ad sedem apostolicam recurrendum, cuius est aestimare, quem modum sui beneficii esse velit. In conferendis insuper personatibus et dignitatibus et aliis be-
365. neficiis, curam habentibus animarum annexam, iidem ordinarii diligentiam illam observent, ut personatum, dignitatem vel aliud beneficium, similem curam habens animarum, alicui plura similia obtinenti non ante conferre praesumant, quam eis super obtentis dispensatio evidenter sufficiens ostendatur; qua etiam ostensa, ita demum ad collationem procedi volumus, si appareat per eandem, quod is, cui est collatio facienda, huiusmodi personatum, dignitatem vel beneficium retinere libere valeat cum obtentis, vel si ea, quae sic obtinet, libere ac sponte resignet. Aliter autem de personatibus, dignitatibus et beneficiis talibus facta collatio nullius penitus sit momenti.

GREGORIUS X. IN CONCILIO LUGDUNENSI.

Ex Sexto Decretalium lib. III., tit. XX. de censibus, exactionibus et procurationibus, cap. 2.

(Sess. XXIV. de reform. cap. 3.)

Exigit perversorum audacia, ut non simus sola delictorum prohibitione contenti, sed etiam poenam delinquentibus imponamus. Constitutionem itaque felicis recordationis Innocentii Papae IV., praedecessoris nostri, editam super non recipiendis in pecunia procurationibus, ac super receptione munerum visitantibus, eorumque familiaribus interdicta, quam multorum fertur temeritas praeterire, volentes inviolabiliter observari, eam decernimus poenae adiectione iuvandam; statuentes, ut universi et singuli, qui ob procurationem sibi ratione visitationis debitam exigere pecuniam, vel etiam a volente recipere, vel alias constitutionem ipsam recipiendo munera, sive visitationis officio non impenso, procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procurationis occasione, violare praesumpserint, duplum eius, quod receperint ecclesiae, a qua id receptum fuerit, intra mensem reddere teneantur. Alioquin
366. ex tunc patriarchae, archiepiscopi, episcopi, duplum ipsum ultra praedictum tempus restituere differentes, ingressum sibi ecclesiae sentiant interdictum. Inferiores vero ab officio et beneficio noverint se suspensos, quousque de duplo huiusmodi gravatis ecclesiis

plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate seu gratia valitura.

INNOCENTIUS III. IN CONCILIO LATERANENSI.

Ex lib. I. Decretalium, tit. XXXI. de officio iudicis, cap. 15.

(Sess. V. de reform. cap. 2.)

Inter cetera, quae spectant ad salutem populi Christiani, pabulum verbi Dei permaxime noscitur sibi esse necessarium, quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur eo, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Unde, quum saepe contingat, quod episcopi propter occupationes multiplices, vel invaletudines corporales, aut hostiles incursiones, seu occasiones alias (ne dicamus defectum scientiae, quod in eis est reprobandum omnino, nec de cetero tolerandum) per se ipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas dioeceses et diffusas: generali constitutione sancimus, ut episcopi viros idoneos ad sanctae praedicationis officium salubriter exsequendum assumant, potentes in opere et sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum, quum per se idem nequiverint, sollicite visitantes, eas verbo aedificent et exemplo, quibus ipsi, quum indiguerint, necessaria ministrent, ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto. Unde praecipimus tam in cathedralibus quam in aliis conventualibus ecclesiis viros idoneos ordinari, quos episcopi possint coadiutores et cooperatores habere, non solum in praedicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus, et poenitentiis iniungendis, ac ceteris, quae ad salu- 367.
tem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere, districtae subiaceat ultioni.

INNOCENTIUS III. IN CONCILIO LATERANENSI.

Ex lib. III. Decretalium, tit. V. de praebendis et dignitatibus, c. 28.

(Sess. VII. de reform. cap. 4.)

De multa providentia fuit in Lateranensi concilio prohibitum, ut nullus diversas dignitates ecclesiasticas, vel plures ecclesias parochiales reciperet contra sacrorum canonum instituta; alioquin recipiens sic acceptam amitteret, et largiendi potestate conferens privaretur. Quia vero propter praesumptiones et quorundam cupiditates nullus hactenus aut rarus de praedicto statuto fructus provenit, nos evidentius et expressius occurrere cupientes, praesenti decreto statuimus, ut quicunque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, si prius tale beneficium habebat, eo sit ipso iure privatus; et si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur. Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius libere conferat, cui merito viderit conferendum, et si ultra sex menses conferre distulerit, non solum ad

alios secundum Lateranensis concilii statutum eius collatio devolvatur, verum etiam tantum de suis cogatur proventibus in utilitatem ecclesiae, cuius est illud beneficium, assignare, quantum a tempore vacationis ipsius constiterit esse perceptum. Hoc idem in personatibus esse decernimus observandum, addentes, ut in eadem ecclesia nullus plures dignitates aut personatus habere praesumat, etiam si curam non habeant animarum. Circa sublimes tamen et literatas personas, quae maioribus beneficiis sunt honorandae, quum ratio postulaverit, per sedem apostolicam poterit dispensari.

368. INNOCENTIUS III.

Ibid. cap. 29.

(Sess. VII. de reform. cap. 3.)

Grave nimis est et absurdum, quod quidam ecclesiarum praelati, quum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec literarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non iudicium rationis; unde quanta ecclesiis damna proveniant, nemo sanae mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, praecipimus, ut, praetermissis indignis, idoneos assumant, qui Deo et ecclesiis velint et valeant gratum impendere famulatum, fiatque de hoc in provinciali concilio diligens inquisitio annuatim ita, ut qui post primam et secundam correctionem fuerit repertus culpabilis, a beneficiis conferendis per ipsum concilium suspendatur, instituta in eodem concilio persona provida et honesta, quae suspensi suppleat defectum in beneficiis conferendis. Et hoc ipsum circa capitula, quae in his deliquerint, observetur. Metropolitani vero delictum superioris iudicio relinquatur ex parte concilii nunciandum. Ut autem haec salubris provisio pleniorem consequatur effectum, huiusmodi suspensionis sententia praeter Romani Pontificis auctoritatem aut proprii patriarchae minime relaxetur, ut in hoc quoque quatuor patriarchales sedes specialiter honorentur.

INNOCENTIUS III. IN CONCILIO LATERANENSI.

Ex lib. III. Decretalium, tit. XXXV. de statu monachorum, c. 7.

(Sess. XXV. de regul. et monial. cap. 8.)

369. In singulis regnis sive provinciis fiat de triennio in triennium, salvo iure dioecesanorum pontificum, commune capitulum abbatum atque priorum, abbates proprios non habentium, qui non consueverunt tale capitulum celebrare, ad quod universi conveniant praepeditionem canonicam non habentes, apud unum de monasteriis ad hoc aptum; hoc adhibito moderamine, ut nullus eorum plus quam sex evictiones et octo personas adducat. Advocent autem caritative in huius novitatis primordiis duos Cisterciensis ordinis abbates vicinos ad praestandum sibi consilium et auxilium opportunum,

quum sint in huiusmodi capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati. Qui absque contradictione duos sibi de ipsis associent, quos viderint expedire. Ac ipsi quatuor praesint capitulo universo ita, quod ex hoc nullus eorum auctoritatem praelationis assumat, unde, quum expedierit, provida possint deliberatione mutari. Huiusmodi vero capitulum aliquot certis diebus continue iuxta morem Cisterciensis ordinis celebretur, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione ordinis et observantia regulari; et quod statutum fuerit illis quatuor approbantibus, ab omnibus inviolabiliter observetur, omni excusatione et contradictione ac appellatione remotis, proviso nihilominus ubi sequenti termino debeat capitulum celebrari. Et qui convenerint vitam ducant communem, et faciant proportionabiliter simul omnes communes expensas ita, quod si non omnes potuerint in eisdem, saltem plures simul in diversis domibus commorentur. Ordinentur etiam in eodem capitulo religiosae ac circumspectae personae, quae singulas abbatias eiusdem regni sive provinciae non solum monachorum, sed etiam monialium, secundum formam sibi praefixam vice nostra studeant visitare, corrigentes et reformantes quae correctionis et reformationis officio viderint indigere, ita, quod si rectorem loci cognoverint ab administratione penitus amovendum, denuncient episcopo proprio, ut illum amovere procuret; quod si non fecerit, ipsi visitatores hoc referant ad apostolicae sedis examen. Hoc ipsum regulares canonicos secundum ordinem suum volumus et praecipimus observare. Si vero in hac novitate quicquam difficultatis emerserit, 370.
quod per praedictas personas nequeat expediri, ad apostolicae sedis iudicium absque scandalo referatur, ceteris irrefragabiliter observatis, quae concordi fuerint deliberatione provisa.

Porro dioecesani episcopi monasteria sibi subiecta ita studeant reformare, ut, quum ad ea praedicti visitatores accesserint, plus in illis inveniant, quod commendatione, quam quod correctione sit dignum; attentissime praecaventes, ne per eos dicta monasteria indebitis oneribus aggraventur, quia sic volumus superiorum iura servari, ut inferiorum nolimus iniurias sustinere. Ad hoc districte praecipimus tam dioecesanis episcopis quam personis, quae praeerunt capitulis celebrandis, ut per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescant advocatos, patronos, vicedominos, rectores et consules, magnates et milites, seu quoslibet alios, ne monasteria praesumant offendere in personis ac rebus. Et si forsitan offenderint, eos ad satisfactionem compellere non omittant, ut liberius et quietius omnipotenti Deo valeant famulari.

INNOCENTIUS III. IN CONCILIO LATERANENSI.

Ex lib. IV. Decretalium, tit. III. de clandestina desponsatione, c. 3.

(Sess. XXIV. Decret. de reform. matrimonii, cap. 1.)

Quum inhibitio copulae coniugalis sit ultimis tribus gradibus revocata, eam in aliis volumus districte servari. Unde praedecessorum

nostrorum vestigiis inhaerendo, clandestina coniugia penitus inhibemus; prohibentes etiam, ne quis sacerdos talibus interesse praesumat. Quare specialem quorundam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando statuimus, ut, quum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino praefinito, ut infra illum qui voluerit et valuerit
371. legitimum impedimentum opponat, et ipsi presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Quum autem apparuerit probabilis coniectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec quid fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis.

INNOCENTIUS III. IN CONCILIO LATERANENSI.

Ex lib. V. Decretalium, tit. I. de accusationibus et inquisitionibus et denunciationibus, c. 24.

(Sess. XXIV. de reform. cap. 5.)

Qualiter et quando debeat praelatus procedere ad inquirendum et puniendum subditorum excessus, ex auctoritatibus novi et veteris testamenti colligitur evidenter, ex quibus postea processerunt canonicae sanctiones, sicut olim aperte distinximus, et nunc sacri approbatione concilii confirmamus. Legitur enim in evangelio, quod villicus ille, qui diffamatus erat apud dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius, audivit ab illo[1]): *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuae; iam enim non poteris villicare.* Et in Genesi Dominus ait[2]): *Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Ex quibus auctoritatibus manifeste comprobatur, quod non solum quum subditus, verum etiam quum praelatus excedit, si per clamorem et famam ad aures superioris pervenerit, non quidem a malevolis et maledicis, sed a providis et honestis, nec semel tantum, sed saepe (quod clamor innuit et diffamatio manifestat), debet coram ecclesiae senioribus veritatem
372. diligentius perscrutari, ut, si rei poposcerit qualitas, canonica districtio culpam feriat delinquentis, non tanquam sit auctor et iudex, sed quasi deferente fama vel denunciante clamore officii sui debitum exsequatur. Licet autem hoc sit observandum in subditis, diligentius tamen observandum est in praelatis, qui quasi signum sunt positi ad sagittam[3]). Et quia non possunt omnibus complacere, quum ex officio teneantur non solum arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere, nonnunquam vero ligare, frequenter odium multorum incurrunt, et insidias patiuntur; ideo sancti Patres provide statuerunt, ut accusatio praelatorum non facile admittatur, ne concussis columnis corruat aedificium, nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsae, sed etiam malignae criminationi ianua praecludatur. Verum ita voluerunt providere praelatis, ne criminarentur iniuste, ut tamen caverent, ne delinquerent insolenter, contra morbum utrumque invenientes congruam medicinam, videlicet ut criminalis accusatio, quae ad diminutionem capitis (id est degradationem) intenditur, nisi legitima praecedat inscriptio, nullatenus admittatur. Sed quum super excessibus suis quisquam fuerit infamatus ita, ut iam clamor ascendat, qui diutius sine scandalo dissimulari non possit vel sine periculo tolerari, absque dubitationis scrupulo ad inquirendum et puniendum eius excessus, non ex odii fomite, sed caritatis procedatur affectu, quatenus, si fuerit gravis excessus, etsi non degradetur ab ordine, ab administratione tamen amoveatur omnino, quod est, secundum evangelicam sententiam, a villicatione villicum amoveri, qui non potest villicationis suae dignam reddere rationem. Debet igitur esse praesens is, contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit; et exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi se ipsum. Et non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut quid et a quo sit dictum appareat, publicanda; nec non exceptiones et replicationes legitimae admittendae, ne per suppressionem nominum infamandi, per exceptionum vero exclusionem deponendi falsum audacia praebeatur. Ad corrigendos itaque subditorum excessus tanto diligentius debet praelatus assurgere, quanto 373.
damnabilius eorum offensas desereret incorrectas; contra quos, ut de nostris excessibus taceatur, etsi tribus modis possit procedi, per accusationem videlicet, denunciationem et inquisitionem eorum, ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ne forte per leve compendium ad grave dispendium veniatur, sicut accusationem legitime praecedere debet inscriptio, sic et denunciationem caritativa admonitio, et inquisitionem clamosa insinuatio praevenire; illo semper adhibito moderamine, ut iuxta formam iudicii sententiae quoque forma dictetur. Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum, quae quum causa requirit, facilius et liberius a suis possunt administrationibus amoveri.

1) Luc. XVI. 2. — 2) Gen. XVIII. 21. — 3) Thren. III. 12.

INNOCENTIUS III.

Ex lib. V. Decretalium, tit. XXXIII. de privilegiis et excess. privileg., c. 16.

(Sess. XXIV. de reform. cap. 11.)

Quum capella ducis Burgundiae gaudere dicatur huiusmodi privilegio, quod nullus archiepiscopus vel episcopus in personas canonicorum eiusdem capellae suspensionis vel excommunicationis aut interdicti, sententias audeat promulgare, quidam capellae supra-

dictae canonici, qui parochiales ecclesias a te tenent, occasione privilegii praelibati in his etiam, quarum iurisdictio ad te pertinet, ita se dicunt exemptos, ut quantumcunque graviter interdum excedant, tuae correctioni recusent et sententiae subiacere. Quocirca mandamus, quatenus in quantum exempti sunt, eiusdem ratione capellae apostolicis privilegiis deferas reverenter, sed in quantum ratione parochialium ecclesiarum vel alias iurisdictionem tuam respicere dignoscuntur, officii tui debitum in eosdem libere prosequaris.

374. INNOCENTIUS III. IN CONCILIO LATERANENSI.

Ex lib. V. Decretalium, tit. XXXVIII. de poenitentiis et remissionibus, c. 12.

(Sess. XIII. de sacr. euch. can. 9. et Sess. XIV. de sacr. poenit. can. 8.)

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quispiam ignorantiae caecitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, quum aliter ille ipsum non possit solvere vel ligare.

INNOCENTIUS IV. IN CONCILIO LUGDUNENSI.

Ex Sexto Decretalium lib. II., tit. XV. de appellationibus, c. 3.

(Sess. XXII. de reform. cap. 7.)

375. Romana ecclesia *et infra*. Quum suffraganeorum Remensis ecclesiae, suorumque officialium (qui generaliter de causis ad ipsorum forum pertinentibus eorum vices supplendo cognoscunt) unum et idem consistorium sive auditorium sit censendum, ab ipsis officialibus non ad dictos suffraganeos (ne ab eisdem ad se ipsos interponi appellatio videatur), sed de iure ad Remensem est curiam appellandum. Ab archidiaconis vero aliisque inferioribus praelatis suffraganeis subiectis eisdem et eorum officialibus, ad suffraganeos ipsos debet, et non ad eandem curiam (omissis dictis suffraganeis) appellari, nisi aliud Remensi ecclesiae de consuetudine competat in hac parte. Quum autem ad praefatam curiam ob eorundem suffraganeorum vel suorum officialium audientia fuerit appellatum, Remensis archiepiscopus (qui pro tempore fuerit) vel officialis ipsius nullatenus in appellationis causa interpositae ante definitivam sententiam citent partes, nec etiam aliis illam committant, appellationis eiusdem causa probabili seu legitima non expressa.

Si vero vocatis partibus vel nullatenus, aut non intra decem dies post interlocutoriam vel definitivam sententiam appellatum fuisse, seu aliquid aliud simile, sicque non esse per appellationem ad eundem archiepiscopum vel eius officialem devolutum negotium, proponatur: iidem (nisi prius ipsis constiterit causam ipsam ad eos totaliter fuisse delatam) prohibere, ne in causa illa, vel ne ad exsecutionem procedatur sententiae, non praesumant.

Quod si obiiciatur ex iniusta causa seu minus legitima ante sententiam appellationem interpositam exstitisse, et ex eo non esse appellationem huiusmodi admittendam: nequeunt praedicti archiepiscopus vel eius officialis prohibere, ne procedatur in causa, nisi prius appellatione recepta, velut emissa ex causa probabili, cognoscere incipiant de causa huiusmodi, an sit vera. Si autem post sententiam in casibus a iure prohibitis (utpote a sententia super manifesto et notorio crimine, vel de quo quis in iure confessus exstitit, promulgata) vel consimilibus appellatum fuisse dicatur: possunt, ne sententia exsecutioni mandetur (postquam cognoscere coeperint, utrum sit recipienda vel non appellatio ab eo interposita) inhibere. 376.
In alium quoque, qui circa rem, de qua inter appellantem et appellatum controversia vertitur, aliquid post eorum inhibitionem attentat, non valent occasione huiusmodi iurisdictionem aliquam vindicare. Quum vero his, qui ad Remensem curiam super aliqua causa vocem appellationis emittit, nihilominus in causis aliis ordinarii sui iurisdictioni subiiciatur, Remensis archiepiscopus vel officialis ipsius nequaquam iurisdictionem ipsam in aliis impediant, ut ab eiusdem ordinarii potestate totaliter eximant taliter appellantem. Debet autem ad eos ab episcopis praefatae provinciae super causis, in quibus temporalem iurisdictionem exercent, nisi forte de consuetudine aut privilegio, sive iure alio speciali sit appellandum ad alium, appellari. Sententias quoque interdicti vel suspensionis seu excommunicationis in appellantem ab eo, a quo appellatum proponitur, promulgatas, nullatenus, nisi vocatis partibus, et de appellatione legitime cognita, revocent aut denuncient esse nullas. Quum autem ad Remensem archiepiscopum ab audientia suffraganei sui super aliqua causa fuerit ante sententiam appellatum, idem archiepiscopus (postquam de appellatione cognita constiterit eam minus rationabilem exstitisse) causam ad eundem suffraganeum remittere non postponat.

INNOCENTIUS IV. IN CONCILIO LUGDUNENSI.

Ex Sexto Decretalium lib. V., tit. VII. de privilegiis, c. 1.

(Sess. VII. de reform. cap. 14.)

Volentes libertatem (quam nonnullis apostolica sedes privilegio exemptionis indulsit) sic integram observari, ut et illam alii non in-

fringant, et ipsi eius limites non excedant, declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcunque sic exempti gaudeant libertate,
377. nihilominus tamen ratione delicti sive contractus aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possunt coram locorum ordinariis conveniri, et illi quoad hoc suam in ipsos iurisdictionem (prout ius exigit) exercere.

Numquid ergo carent omnino in his commodo libertatis? non utique, quia nec coram ordinariis ipsis, dummodo sit in loco exempto commissum delictum vel contractus initus, aut res litigiosa, nec ubi domicilium habent, si alibi delinquant vel contrahant, aut res ipsa consistat, conveniri possunt aliquatenus super istis; nec domiciliorum praetextu locorum dioecesani (si ubi deliquerunt, vel contraxerunt, aut res ipsa consistit, illi conveniantur) remittendi eos illuc, vel ipsis, ut illic respondeant, iniungendi habeant aliquam potestatem; salvis nihilominus casibus aliis, in quibus eos episcoporum iurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta. Et id ipsum decernimus circa illos, quibus, ut non nisi sub uno iudice teneantur de se conquerentibus respondere, apostolico privilegio est concessum. In eos autem, quibus ne interdici, suspendi vel excommunicari a quoquam valeant, a sede apostolica est indultum, sicut sunt religiosi quam plures, in quorum privilegiis continetur, ne quisquam episcopus vel archiepiscopus monasteriorum suorum monachos pro ulla causa ullove loco interdicere, suspendere vel excommunicare praesumat: iidem ordinarii iurisdictionem suam, quantum ad ista, ubicunque illi fuerint, penitus exercere non possint; nisi forsan ipsi monachi ad monasteriorum suorum prioratus ordinariis iisdem subiectos fuerint destinati. Tunc enim etsi libere possint ad eadem monasteria revocari, ac tam illorum quam ipsorum prioratuum monachi reputentur (quum non sit inconveniens aliquem utrobique locum habere monachicum) unum alteri subesse monasterio, vel ab ipso noscitur dependere; ratione tamen eorundem prioratuum dicti ordinarii sua iurisdictione in ipsis etiam quoad praemissa (quamdiu morantur in iis) licite uti possunt.

378. LEO X. IN CONCILIO LATERANENSI.

Sess. X. de impressione librorum.

(Sess. IV. Decret., de edit. et usu sacr. libror. et Reg. X. de libris prohibitis, supra.)

Nos, ne id, quod ad Dei gloriam, et fidei augmentum ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac Christi fidelium saluti detrimentum pariat, super librorum impressione curam nostram habendam fore duximus, ne de cetero cum bonis seminibus spinae coalescant, vel medicinis venena intermisceantur. Volentes igitur de opportuno super his remedio providere, hoc sacro approbante concilio, ut negotium impressionis librorum huiusmodi eo prosperetur felicius, quo deinceps indago sollertior diligentius et cautius adhibeatur: statuimus et ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem

seu aliam quamcunque scripturam tam in Urbe nostra quam aliis quibusvis civitatibus et dioecesibus imprimere seu imprimi facere praesumat, nisi prius in Urbe per vicarium nostrum et sacri palatii magistrum, in aliis vero civitatibus et dioecesibus per episcopum, vel alium habentem peritiam scientiae, libri seu scripturae huiusmodi imprimendae ab eodem episcopo ad id deputandum, ac inquisitorem haereticae pravitatis civitatis sive dioecesis, in quibus librorum impressio huiusmodi fieret, diligenter examinentur, et per eorum manu propria subscriptionem, sub excommunicationis sententia gratis et sine dilatione imponendam, approbentur. Qui autem secus praesumpserit, ultra librorum impressorum amissionem, et illorum publicam combustionem, ac centum ducatorum fabricae principis apostolorum de Urbe sine spe remissionis solutionem, ac anni continui exercitii impressionis suspensionem, excommunicationis sententia innodatus exsistat, ac demum ingravescente contu- 379.
macia taliter per episcopum suum vel vicarium nostrum respective per omnia iuris remedia castigetur, quod alii eius exemplo similia minime attentare praesumant. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Romae in publica basilica solenniter celebrata anno Incarnationis dominicae 1515., 4. Maii, Pontif. nostri anno tertio.

SIXTUS IV.

Ex lib. III. Extravagantium communium, tit. de reliquiis et veneratione sanctorum, c. 1.

(Sess. V. decret. de pecc. orig.)

Quum praeexcelsa meritorum insignia, quibus regina coelorum, Virgo Dei genitrix gloriosa, sedibus praelata aethereis, sideribus quasi stella matutina perrutilans, devotae considerationis indagine perscrutamur, et infra pectoris arcana revolvimus, quod ipsa, utpote via misericordiae, mater gratiae et pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula oratrix et pervigil ad regem, quem genuit, intercedit: dignum, quin potius debitum reputamus, universos Christi fideles, ut omnipotenti Deo (cuius providentia eiusdem Virginis hu- 380.
militatem ab aeterno respiciens, pro concilianda suo auctori humana natura, lapsu primi hominis aeternae morti obnoxia eam sui Unigeniti habitaculum sancti Spiritus praeparatione constituit, ex qua carnem nostrae mortalitatis pro redemptione populi sui assumeret, et immaculata Virgo nihilominus post partum remaneret) de ipsius immaculatae Virginis mira conceptione gratias et laudes referant, et instituta propterea in ecclesia Dei missas et alia divina officia dicant, et illis intersint, indulgentiis et peccatorum remissionibus invitare, ut exinde fiant eiusdem Virginis meritis et intercessione divinae gratiae aptiores. Hac igitur consideratione inducti, eiusdem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, auctoritate apostolica hac in perpetuum valitura constitutione statuimus et ordinamus, quod omnes

et singuli Christi fideles utriusque sexus, qui missam et officium conceptionis eiusdem Virginis gloriosae, iuxta piam, devotam et laudabilem ordinationem dilecti filii magistri Leonardi de Nogarolis, clerici Veronensis, notarii nostri, et, quae desuper a nobis emanavit, missae et officii huiusmodi institutionem, in die festivitatis conceptionis eiusdem Virginis Mariae et per octavas eius devote celebraverint et dixerint, aut illis horis canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam et peccatorum remissionem consequantur, quam iuxta felicis recordationis Urbani IV. in concilio Viennensi approbatae, ac Martini V. et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones consequuntur illi, qui missam et horas canonicas in festo corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi a primis vesperis et per illius octavas iuxta Romanae ecclesiae constitutionem, celebrant, dicunt, aut missae, officio et horis huiusmodi intersunt; praesentibus perpetuis temporibus valituris. Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae 1476., 3 Kalend. Martii, Pontificatus nostri anno sexto.

381. SIXTUS V.

Ibid. c. 2.

(Sess. V. Decret. de peccato originali.)

Grave nimis gerimus et molestum, quum sinistra nobis de quibusdam ecclesiasticis personis referuntur. Sed in eorum, qui ad evangelizandum verbum Dei sunt deputati, excessibus praedicando commissis, eo gravius provocamur, quo illi periculosius remanent incorrecti, quum facile deleri nequeant qui multorum cordibus sic publice praedicando diffusius et damnabilius imprimuntur errores. Sane, quum sancta Romana ecclesia de intemeratae semperque Virginis Mariae conceptione publice festum solenniter celebret et speciale ac proprium super hoc officium ordinaverit, nonnulli, ut accepimus, diversorum ordinum praedicatores, in suis sermonibus ad populum publice per diversas civitates et terras affirmare hactenus non erubuerunt, et quotidie praedicare non cessant, omnes illos, qui tenent aut asserunt, eandem gloriosam et immaculatam Dei genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse haereticos; eiusdem immaculatae conceptionis officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter. Sed et praefatis praedicationibus non contenti confectos super his suis assertionibus libros in publicum ediderunt, ex quorum assertionibus et praedicationibus non levia scandala in mentibus fidelium exorta sunt, et maiora merito exoriri formidantur in dies. Nos igitur huiusmodi temerariis ausibus ac perversis assertionibus ac scandalosis, quae exinde in Dei ecclesia exoriri possunt, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de
382. nostra mera deliberatione et certa scientia, huiusmodi assertiones

praedicatorum eorundem et aliorum quorumlibet, qui affirmare praesumerent, eos, qui crederent aut tenerent, eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione praeservatam fuisse, propterea alicuius haeresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut huiusmodi officium conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes, alicuius peccati reatum incurrere, utpote falsas et erroneas, et a veritate penitus alienas, editosque desuper libros praedictos id continentes, quoad hoc, auctoritate apostolica tenore praesentium reprobamus et damnamus, ac motu, scientia et auctoritate praedictis statuimus et ordinamus, quod praedicatores verbi Dei, et quicunque alii, cuiuscunque status, gradus aut ordinis ac conditionis fuerint, qui de cetero ausu temerario praesumpserint in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare, huiusmodi sic per nos improbatas et damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, postquam de praesentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua ab alio quam a Romano Pontifice (nisi in mortis articulo) nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, scientia et auctoritate similibus simili poenae ac censurae subiicientes eos, qui ausi fuerint asserere, contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen vel peccatum incurrere mortale, quum nondum sit a Romana ecclesia et apostolica sede decisum; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque, quibus communiter vel divisim a sede apostolica indultum exsistat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam ac expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et ne de praemissis aliquando valeant ignorantiam allegare, volumus, quod locorum ordinarii requisiti praesentes literas in ecclesiis consistentibus in eorum civitatibus, et suarum dioecesum locis insignibus, dum maior 383.
ibi multitudo populi ad divina convenerit, sermonibus ad populum mandent et faciant publicari. Praeterea, quia difficile foret praesentes literas ad singula loca, in quibus expediens fuerit, deferre, etiam volumus et dicta auctoritate decernimus, quod earundem literarum transsumpto, manu publici notarii confecto, et authentico alicuius praelati ecclesiastici sigillo munito, ubique stetur, prout staretur eisdem originalibus literis, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reprobationis, damnationis, statuti, ordinationis, voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae 1483., pridie Nonas Septemb., Pontificatus nostri anno decimo tertio.

---

384. # APPENDIX

ALIORUM QUORUNDAM DOCUMENTORUM, QUAE THEOLOGIAE CANDITATIS UTILIA ESSE VIDENTUR.

I.

DAMNATIO ERRORUM WICLEFFI, HUS ET LUTHERI.

Sacrosancta Constantiensis synodus, generale concilium faciens, et ecclesiam catholicam repraesentans etc. Ad perpetuam rei memoriam.

Fidem catholicam etc. Sequuntur articuli Ioannis Wicleffi. 1. Substantia panis materialis, et similiter substantia vini materialis remanent in sacramento altaris. 2. Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento. 3. Christus non est in eodem sacramento identice et realiter propria praesentia corporali. 4. Si episcopus vel sacerdos exsistat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat. 5. Non est fundatum in evangelio, quod Christus missam ordinaverit. 6. Deus debet obedire diabolo. 7. Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis. 8. Si Papa sit praescitus et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare. 9. Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis. 10. Contra scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones. 11. Nullus praelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo: et qui sic excommunicat, sit ex hoc haereticus vel excommunicatus. 12. Praelatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem vel concilium regni, eo ipso traditor est regis et regni. 13. Illi, qui dimittunt praedicare sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt
365. excommunicati, et in Dei iudicio traditores Christi habebuntur. 14. Licet alicui diacono vel presbytero praedicare verbum Dei absque auctoritate sedis apostolicae sive episcopi catholici. 15. Nul-

lus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali. 16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solum actu delinquentibus. 17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere. 18. Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt parochiani propter peccata suorum praelatorum ad libitum suum eas auferre. 19. Speciales orationes applicatae uni personae per praelatos vel religiosos non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus. 20. Conferens eleemosynam fratribus est excommunicatus eo facto. 21. Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcunque, tam possessionatorum quam mendicantium, redditur ineptior et inhabilior ad observationem mandatorum Dei. 22. Sancti instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt. 23. Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione Christiana. 24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, et non per mendicitatem. 25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis eis in temporalibus subvenientibus. 26. Oratio praesciti nulli valet. 27. Omnia de necessitate absoluta eveniunt. 28. Confirmatio iuvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papae et episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris. 29. Universitates, studia, collegia, graduationes et magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta; tantum prosunt ecclesiae, sicut diabolus. 30. Excommunicatio Papae vel cuiuscunque praelati non est timenda, quia est censura antichristi. 31. Peccant fundantes claustra, et ingredientes sunt viri diabolici. 32. Ditare clerum est contra regulam Christi. 33. Silvester Papa et Constantinus imperator errarunt ecclesiam dotando. 34. Omnes de ordine mendicantium sunt haeretici, et dantes eis eleemosynas sunt excommunicati.
35. Ingredientes religionem aut aliquem ordinem, eo ipso inhabiles 386.
sunt ad observanda divina praecepta, et per consequens ad perveniendum ad regnum coelorum, nisi apostataverint ab eisdem. 36. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici eo, quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet domini saeculares, et ceteri laici. 37. Ecclesia Romana est synagoga satanae, nec Papa est proximus et immediatus vicarius Christi et Apostolorum. 38. Decretales ecclesiae sunt apocryphae, et seducunt a fide Christi, et clerici sunt stulti, qui student eis. 39. Imperator et domini saeculares sunt seducti a diabolo, ut ecclesiam dotarent bonis temporalibus. 40. Electio Papae a cardinalibus a diabolo est introducta. 41. Non est de necessitate salutis, credere Romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias. 42. Fatuum est credere indulgentiis Papae et episcoporum. 43. Iuramenta illicita sunt, quae fiunt ad corroborandos humanos contractus et commercia civilia. 44. Augustinus, Benedictus et Bernardus damnati sunt, nisi poenituerit de hoc, quod

habuerunt possessiones, et instituerunt et intraverunt religiones; et sic a Papa usque ad ultimum religiosum omnes sunt haeretici. 45. Omnes religiones indifferenter introductae sunt a diabolo. *Fin. art. Wicl.*

Idemque Ioannes Wicleff libros dialogum, et trialogum per ipsum nominatos, et plures alios tractatus, volumina et opuscula composuit, in quibus praescriptos et plures alios damnabiles inseruit et dogmatizavit articulos etc. Rursus his ad notitiam sedis apostolicae et generalis concilii deductis, Romanus Pontifex (in sua obedientia Ioannes XXIII.) in concilio Romano ultimo celebrato dictos libros, tractatus et opuscula condemnavit etc. Haec autem s. synodus praefatos articulos XLV. examinari fecit, et saepius recenseri per plures reverendissimos Patres ecclesiae Romanae cardinales, episcopos, abbates, magistros in theologia, doctores iuris utriusque, et plures notabiles in multitudine copiosa; quibus articulis examinatis fuit repertum, prout in veritate est, aliquos et plures ex ipsis fuisse et esse notorie haereticos, et a SS. PP.
387. dudum reprobatos; alios non catholicos, sed erroneos; alios scandalosos, et blasphemos; quosdam piarum aurium offensivos; nonnullos eorum temerarios et seditiosos. Compertum est etiam, libros eius plures alios articulos continere similium qualitatum, doctrinamque in ecclesia Dei vesanam (*alii* venenosam), et fidei ac moribus inimicam inducere. Propterea in nomine D. N. Iesu Christi haec s. synodus sententias praedictorum archiepiscoporum ac concilii Romani ratificans et approbans, praedictos articulos et eorum quemlibet, libros eiusdem dialogum et trialogum per eundem Ioannem Wicleff nominatos, et alios eiusdem auctoris libros, volumina, tractatus et opuscula, quocunque nomine censeantur, quos hic haberi vult pro sufficienter expressis, hoc perpetuo decreto reprobat et condemnat etc.

Quia vero libris praedictis diligenter examinatis per doctores et magistros universitatis studii Oxoniensis, ultra dictos XLV. articulos, ducentos sexaginta extra pendentes collegerunt (*al.* excerpendo collegerunt), quorum aliqui cum supradictis in sententia coincidunt, licet non eadem forma verborum, et sicut de aliis superius dictum est, quidam ipsorum erant et sunt haeretici, quidam seditiosi, quidam erronei, alii temerarii, nonnulli scandalosi, alii insani, nec non omnes paene contra bonos mores et catholicam veritatem, fuerunt propterea per dictam universitatem scholastice et debite reprobati. Haec igitur synodus sacrosancta, cum deliberatione qua supra, praedictos articulos et eorum quemlibet reprobat et condemnat, prohibens, iubens, mandans et decernens, prout de aliis XLV. Eorundem ducentorum sexaginta articulorum tenores duximus inferius inserendos: *horum tamen articulorum series in collectione conciliorum non apparet.*

Sacrosancta generalis Constantiensis synodus, ecclesiam catholicam repraesentans, in Spiritu sancto legitime congregata. Ad perpetuam rei memoriam.

Quia teste veritate etc. Quapropter habita per prius plenaria informatione de praemissis, et diligenti deliberatione reverendissi- 388.
morum in Christo Patrum dominorum s. Romanae ecclesiae cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et ceterorum praelatorum, et doctorum sacrae paginae et iuris utriusque in multitudine copiosa, haec sacrosancta Constantiensis synodus declarat et diffinit, articulos infra scriptos, qui habita collatione per plures magistros in sacra pagina, reperti fuerunt contineri in eius libris, et opusculis manu propria scriptis, et quos etiam idem Ioannes Hus in publica audientia coram Patribus et praelatis huius sacri concilii confessus fuit in suis libris et opusculis contineri, non esse catholicos nec tanquam tales esse dogmatizandos, sed ex eis plures esse erroneos, alios scandalosos, aliquos piarum aurium offensivos, pluresque eorum esse temerarios et seditiosos, et nonnullos eorundem esse notorie haereticos, et iam dudum a sacris Patribus, et generalibus conciliis reprobatos et damnatos...

Sed quum infrascripti articuli expresse contineantur in libris seu tractatibus suis, videlicet in libro, quem intitulat de ecclesia, et aliis suis opusculis, ideo libros praedictos, et doctrinam, et singulos alios tractatus, et opuscula in latino seu vulgari bohemico per ipsum editos... haec sacrosancta synodus reprobat, atque condemnat, ipsos comburendos publice et solenniter in praesentia cleri et populi in civitate Constantiensi et alibi decernit et diffinit... prorsus iubet, per locorum ordinarios tractatus et opuscula huiusmodi per censuram ecclesiasticam, etiam si opus fuerit, cum adiectione poenae, et fautoriae haeresis, diligenter inquiri, et repertos publice ignibus concremari.

Visis insuper actis, et actitatis in causa inquisitionis de et super haeresi contra praedictum Ioannem Hus habitis, et factis... Sacrosancta synodus pronunciat, decernit et declarat dictum Ioannem Hus fuisse et esse verum et manifestum haereticum...

ARTICULI DAMNATI IOANNIS HUS, DE QUIBUS SUPRA FIT MENTIO. 389.

Unica est sancta universalis ecclesia, quae est praedestinatorum universitas. 2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit quosdam actus actibus ecclesiae malignantium consimiles. 3. Praesciti non sunt partes ecclesiae, quum nulla pars eius finaliter excidet ab ea, eo quod praedestinationis caritas, quae ipsam ligat, non excidet. 4. Duae naturae, divinitas et humanitas, sunt unus Christus. 5. Praescitus, etsi aliquando est in gratia secundum praesentem iustitiam, tamen nunquam est pars ecclesiae, et praedestinatus semper manet membrum ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis.

6. Sumendo ecclesiam pro convocatione praedestinatorum, sive fuerint in gratia sive non secundum praesentem iustitiam, isto modo ecclesia est articulus fidei. 7. Petrus non est nec fuit caput ecclesiae s. catholicae. 8. Sacerdotes quomodolibet criminose viventes sacerdotii polluunt potestatem, et sic ut filii infideles sentiunt infideliter de septem sacramentis ecclesiae, de clavibus, officiis, censuris, moribus, caeremoniis et sacris rebus ecclesiae, veneratione reliquiarum, indulgentiis et ordinibus. 9. Papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae perfectio et institutio a Caesaris potentia emanavit. 10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quod esset caput ecclesiae particularis. 11. Non oporteret credere, quod iste, quicunque est Romanus Pontifex, sit caput cuiuscunque particularis ecclesiae sanctae, nisi Deus eum praedestinaverit. 12. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, quum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem, quia ad illud officium vicariatus requiritur et morum conformitas, et instituentis auctoritas. 13. Papa non est verus et manifestus successor Apostolorum principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro, et si quaerit avaritiam, tum est vicarius Iudae Scarioth. Et pari evi-
390. dentia cardinales non sunt veri et manifesti successores collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata et consilia Domini nostri Iesu Christi. 14. Doctores ponentes, quod aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, saeculari iudicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc pontifices et scribas et pharisaeos, qui Christum, non volentem eis obedire in omnibus, dicentes: *nobis non licet interficere quemquam*, ipsum saeculari iudicio tradiderunt, et quod reales sint homicidae, graviores quam Pilato. 15. Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum ecclesiae, praeter expressam auctoritatem scriptam. 16. Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa vel vitiosa, quia, si homo est vitiosus, et agit quicquam, tum agit vitiose, et si est virtuosus, et agit quicquam, tum agit virtuose; quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi. 17. Sacerdotes Christi viventes secundum legem eius, et habentes scripturae notitiam et affectum ad aedificandum populum, debent praedicare non obstante praetensa excommunicatione. Quodsi Papa vel aliquis praelatus mandat sacerdoti sic disposito non praedicare, non debet subditus obedire. 18. Quilibet praedicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit, et illud mandatum debet exsequi praetensa excommunicatione non obstante. 19. Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis et interdicti ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, et viam praeparat antichristo. Signum evidens est, quod ab antichristo

tales procedunt censurae, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam antichristi, qui clerum pro se maxime usurpabit. 20. Si Papa est malus, et praesertim si est praescitus, tunc ut Iudas Apostolus est diaboli, fur et filius perditionis, et non est caput sanctae militantis ecclesiae, quum nec sit membrum eius. 21. Gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus ecclesiae et quod- 391.
libet eius membrum iungitur Christo capiti insolubiliter. 22. Papa vel praelatus, malus et praescitus, est aequivoce pastor, et vere fur et latro. 33. Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium, quia alias rex deberet etiam dici sanctissimus secundum officium; et tortores et praecones dicerentur sancti, immo etiam diabolus deberet dici sanctus, quum sit officiarius Dei. 24. Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam et legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam: nam Iudas Scariotes rite et legitime est electus a Deo Christo Iesu ad episcopatum, et tamen ascendit aliunde ad ovile ovium. 25. Condemnatio XLV. art. Ioannis Wicleff per doctores facta est irrationabilis, et iniqua, et male facta, et ficta est causa per eos allegata; videlicet ex eo, quod nullus eorum sit catholicus: sed quilibet eorum aut est haereticus, aut erroneus aut scandalosus. 26. Non eo ipso, quod electores vel maior pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa; vel eo ipso est verus et manifestus successor, vel vicarius Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in officio ecclesiastico: unde sive electores bene vel male elegerint, operibus electi debemus credere; nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum ecclesiae, habet a Deo ad hoc copiosius facultatem. 27. Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens ecclesiam, quod semper cum ecclesia ipsa militante conversetur et conservetur. 28. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam ecclesiam regularet. 29. Apostoli et fideles sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt ecclesiam, antequam Papae officium foret introductum: sic facerent deficiente per summe possibile Papa usque ad diem iudicii. 30. Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.

Bullam Martini V. datam Constantiae VIII. Kal. Martii 1418., 392.
quae insertos habet utrosque articulos Wicleff et Hus, eosdemque damnat sacro approbante concilio Constantiensi, vid. t. VIII. Concil. Harduini pag. 905. et seq.

Bulla Leonis X. contra Lutherum XVIII. Kal. Iulii 1520. Leo episcopus etc. Exsurge Domine etc. Eorum autem errorum (Lu-

theri) aliquos duximus praesentibus inserendos, quorum tenor sequitur, et est talis.

1. Haeretica sententia est, sed usitata, sacramenta novae legis iustificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem. 2. In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare. 3. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu coeli. 4. Imperfecta caritas morituri fert secum necessarium magnum timorem, qui se solo satis est facere poenam purgatorii, et impedit introitum regni. 5. Tres esse partes poenitentiae, contritionem, confessionem et satisfactionem, non est fundatum in sacra scriptura, nec in antiquis sanctis Christianis doctoribus. 6. Contritio, quae paratur per discussionem, collationem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem, haec contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem. 7. Verissimum est proverbium, et omnium doctrina de contritionibus huc usque data praestantius: de cetero non facere, summa poenitentia, optima poenitentia, nova vita. 8. Nullo modo praesumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas: unde in primitiva ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur. 9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod mi-
393. sericordiae Dei nihil volumus relinquere ignoscendum. 10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remissum crederet: non enim sufficit remissio peccati et gratiae donatio, sed oportet etiam credere esse remissum. 11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi: *quodcunque solveris etc.* (Matth. XVI., 19.) Hic, inquam confide, si sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quicquid sit de contritione. 12. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed ioco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutum. 15. In sacramento poenitentiae ac remissione culpae non plus facit Papa aut episcopus, quam infimus sacerdos; immo tibi non est sacerdos; aeque tantum quilibet Christianus, etiam mulier aut puer esset. 14. Nullus debet sacerdoti respondere, se esse contritum, nec sacerdos requirere. 15. Magnus est error eorum, qui ad sacramenta eucharistiae accedunt, huic innixi, quod non sint sibi conscii alicuius peccati mortalis, quod praemiserint orationes suas, et praeparatoria; omnes illi iudicium sibi manducant et bibunt. Sed si credant et confidant se gratiam ibi consecuturos, haec sola fides facit eos puros et dignos. 16. Consultum videtur, quod ecclesia in communi concilio statuerét laicos sub utraque specie communicandos; nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt haeretici, sed schismatici. 17. Thesauri ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et sanctorum. 18. Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum, et sunt de numero eorum, quae licent, et non de numero eorum, quae expediunt. 19. Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debita apud divinam iustitiam. 20. Seducuntur credentes indulgentias esse salutares, et ad fructus spiritus utiles. 21. Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo et impatientibus. 22. Sex generibus hominum indulgentiae nec sunt necessariae, nec utiles: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his, qui non commiserunt crimina; 394.
his, qui crimina commiserunt, sed non publica; his, qui meliora operantur. 23. Excommunicationes sunt tantum externae poenae, nec privant hominem communibus spiritualibus ecclesiae orationibus. 24. Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem quam timere. 25. Romanus Pontifex Petri successor non est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus. 26. Verbum Christi ad Petrum: *Quodcunque solveris super terram etc.* (Matth. XVI. 19.) extenditur duntaxat ad ligata ab ipso Petro. 27. Certum est in manu ecclesiae aut Papae prorsus non esse statuere articulos fidei, immo nec leges morum seu bonorum operum. 28. Si Papa cum magna parte ecclesiae sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut haeresis contrarium sentire, praesertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum. 29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et iudicandi eorum decreta, et confidenter confitendi quicquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocunque concilio. 30. Aliqui articuli Ioannis Hus condemnati in concilio Constantiensi sunt Christianissimi, verissimi et evangelici, quos nec universalis ecclesia posset damnare. 31. In omni opere bono iustus peccat. 32. Opus bonum optime factum est veniale peccatum. 33. Haereticos comburi est contra voluntatem Spiritus. 34. Proeliari adversus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos. 35. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiae vitium. 36. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo, et dum facit quod in se est, peccat mortaliter. 37. Purgatorium non potest probari ex sacra scriptura, quae sit in canone. 38. Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem omnes, nec probatum est ullis aut rationibus aut scripturis, ipsas esse extra statum merendi aut augendi caritatis. 39. Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerant requiem, et horrent poenas. 40. Animae ex purga- 395.
torio liberatae suffragiis viventium minus beantur, quam si per se satisfecissent. 41. Praelati ecclesiastici et principes saecularis non malefacerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

Praefatos omnes et singulos articulos, seu errores, tanquam, ut praemittitur, respective haereticos aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos, et veritati catholicae obviantes damnamus, reprobamus atque omnino reiicimus etc.

II.

DAMNATIO ERRORUM BAIANORUM etc.

(Bulla S. Pii V. an. 1567.)

Pius episcopus servus servorum etc.: Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco a Domino constituti tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum praecipue excruciat dolor, quod religio Christiana, tantis iampridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus, antiqui hostis suggestione dissectus, in alios atque alios errores passim et promiscue deferatur. Quantum vero ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illae, simul atque prosiliunt, penitus opprimantur; magno enim moerore afficimur, quod plerique, spectatae alioqui probitatis et doctrinae, in varias sententias, offensionis et periculi plenas, tum verbo tum scriptis prorumpunt, deque eis etiam in scholis invicem controversantur, cuiusmodi sunt sequentes.

1. Nec angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia. 2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitae aeternae meritorium. 3. Et bonis angelis, et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces, et non gratia. 4. Vita aeterna homini integro et angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturae ad illam
396. consequendam per se sufficiunt. 5. In promissione facta angelo et primo homini continetur naturalis iustitiae constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita aeterna iustis promittitur. 6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut, si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset. 7. Primi hominis integri merita fuerunt primae creationis munera; sed iuxta modum loquendi scripturae sacrae non recte vocantur gratia, quo fit ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari. 8. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum. 9. Dona concessa homini integro, et angelo forsitan, non improbanda ratione possunt dici gratia; sed quia secundum usum sacrae scripturae nomine gratiae ea tantum munera intelliguntur, quae per Iesum Christum male merentibus et indignis conferuntur, ideo neque merita neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet. 10. Solutio poenae temporalis, quae peccato dimisso saepe remanet, et corporis resurrectio, proprie non nisi meritis Christi adscribenda est. 11. Quod

pie et iuste in hac vita mortali usque in finem conservati vitam consequimur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutae, iusto Dei iudicio deputandum est, neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut iusto Dei iudicio obedientiae mandatorum via aeterna reddatur. 12. Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni coelestis meritorium. 13. Opera boni a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia legi. 14. Opera bona iustorum non accipiunt in die iudicii extremi ampliorem mercedem, quam iusto Dei iudicio mereantur accipere. 15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur habeat gratiam et inhabitantem Spiritum sanctum, sed in eo solum, quod obedit divi- 397.
nae legi. 16. Non est vera legis obedientia, quae sit sine caritate. 17. Sentiunt cum Pelagio qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum. 18. Opera catechumenorum, ut fides et poenitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae meritoria, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur. 19. Opera iustitiae et temperantiae, quae Christus fecit, ex dignitate personae operantis non traxerunt maiorem valorem. 20. Nullum est peccatum ex natura tua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam. 21. Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae, debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis. 22. Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli ad Romanos II.: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus. 23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut fide, et spe et caritate Deum supernaturaliter coleret. 24. A vanis et otiosis hominibus secundum insipientiam philosophorum excogitata est sententia, quae ad Pelagianismum reiicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus, et in Dei filium adoptatus. 25. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia. 26. Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio. 27. Liberum arbitrium sine gratiae Dei adiutorio nonnisi ad peccandum valet. 28. Pelagianus est error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. 29. Non soli fures ii sunt et latrones, qui Christum viam et ostium veritatis et vitae negant, sed etiam quicunque aliunde, quam per ipsum, in viam iustitiae, (hoc est aliquam iustitiam)

conscendi posse docent. 30. Aut tentationi ulli, sine gratiae ipsius
398. adiutorio, resistere hominem posse, sicut in eam non inducatur,
aut ab ea non superetur. 31. Caritas perfecta et sincera, quae
est ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum. 32. Caritas illa, quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum. 33. Catechumenus iuste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per caritatem ante obtentam remissionem peccatorum, quae in baptismi lavacro demum percipitur. 34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris literis et plurimis veterum testimoniis excogitata. 35. Omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est. 36. Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola philosophia per elationem praesumptionis humanae cum iniuria crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus. 37. Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit. 38. Omnis amor creaturae rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur. 39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. 40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati. 41. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato. 42. Iustitia, qua iustificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum iustitia, non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, et secundum interiorem hominem renovatur, ac divinae naturae consors efficitur, ut sic per Spiritum sanctum renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis obedire possit. 43. In hominibus poenitentibus ante sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante baptismum est vera iustificatio;
399. separata tamen a remissione peccatorum. 44. Operibus plerisque, quae a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cuiusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, iustificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia et vera legis iustitia; non tamen iis obtinent incrementa virtutum. 45. Sacrificium missae non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhaereat. 46. Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis quaestio est, sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium. 47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati, sine ulla ratione ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit. 48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo eo, quod non geritur contrarium vo-

luntatis arbitrium. 49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et legi Dei repugnet. 50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto: *Non concupisces.* 51. Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava eius desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia. 52. Omne scelus est eius conditionis, ut suum autorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio. 53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum maioribus. 54. Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, quum Pelagii sit. 55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur. 56. In peccato duo sunt actus et reatus; transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad poenam. 57. Unde in sacramento baptismi aut sacerdotis absolutione proprie reatus peccati duntaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu.
58. Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absol- 400.
ventis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens et inspirans vivificat eum et resuscitat: ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur. 59. Quando per eleemosynas aliaque poenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores), sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur. 60. Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communionem caritatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus qui pretio sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur. 61. Illa doctorum distinctio, divinae legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quendam modum, videlicet, secundum quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum (hoc est ad modum meritorum), commentitia est et explodenda. 62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex obiecto et omnibus circumstantiis rectum est bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium regni aeterni eo, quod sit a vivo Christi membro per spiritum caritatis, reiicienda est. 93. Sed et illa distinctio duplicis iustitiae, alterius, quae fit per spiritum caritatis inhabitantem, alterius, quae fit ex inspiratione quidem Spiritus sancti, cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo caritatem diffundentis, qua divinae legis iustificatio impleatur, similiter reiicitur. 64. Item et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei poenitentia et vitae novae

propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur qui vere iustificatur, et palmes in vite Christo efficitur, pariter commentitia est et scripturis minime congruens. 65. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; et gratiae Christi iniuriam facit qui ita sen-
401. tit et docet. 66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. 67. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit. 68. Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est. 69. Iustificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem et inspirationem gratiae, quae per eam iustificatos faciat implere legem. 70. Homo exsistens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram caritatem, et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis. 71. Per contritionem etiam cum caritate perfecta, et cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti. 72. Omnes omnino iustorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde et Iob et martyres, quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt. 73. Nemo praeter Christum est absque peccato originali; hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis. 74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi. 75. Motus pravi concupiscentiae sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti praecepto: *Non concupisces;* unde homo eos sentiens, et non consentiens, transgreditur praeceptum: *Non concupisces*, quamvis transgressio in peccatum non deputetur. 76. Quamdiu aliquid concupiscentiae carnalis in diligente est, non facit praeceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* 77. Satisfactiones laboriosae iustificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam. 78. Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio. 79. Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari, et institui sine iustitia naturali.

Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent, in rigore
402. et proprio verborum sensu ab assertoribus intento haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes respective, ac quaecunque super iis verbo scriptoque emissa, praesentium auctoritate damnamus, circumscribimus et abolemus, deque eisdem et similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi et disputandi facultatem quibuscunque interdicimus. Qui secus fecerint etc. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae 1567. Kal. Oct., Pontificatus an. secundo.

III.

DAMNATIO ERRORUM IANSENII.

Bulla Innocentii X. contra V. propositiones.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei universis Christi fidelibus salutem et apostolicam benedictionem. Quum occasione impressionis libri, cui titulus: *Augustinus Cornelii Iansenii, episcopi Yprensis*, inter alias eius opiniones orta fuerit, praesertim in Galliis, controversia super quinque ex illis: complures Galliarum episcopi apud nos institerunt, ut easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam et perspicuam ferremus sententiam. Tenor vero praefatarum propositionum est prout sequitur.

I. Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

II. Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.

III. Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

IV. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset 403.
humana voluntas resistere vel obtemperare.

V. Semipelagianum est, dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

Nos quibus inter multiplices curas, quae animum nostrum assidue pulsant, illa in primis cordi est, ut ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare, et tanquam navis in tranquillo mari sedatis omnium tempestatum fluctibus ac procellis secure navigare, et ad optatum salutis portum pervenire possit, pro rei gravitate, coram aliquibus sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus ad id specialiter saepius congregatis, ac pluribus in sacra theologia magistris, easdem quinque propositiones, ut supra, nobis oblatas fecimus singulatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum voce tum scripto relata mature consideravimus, eosdemque magistros, variis coram nobis actis congregationibus, prolixe super eisdem ac super earum qualibet disserentes audivimus.

Quum autem ab initio huiuscemodi discussionis ad divinum implorandum auxilium multorum Christi fidelium preces, tum privatim, tum publice indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventius, ac per nos sollicite implorata sancti Spiritus assistentia,

tandem divino numine favente ad infra scriptam devenimus declarationem et definitionem.

Primam praedictarum propositionum: Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant: temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Secundam: Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur: haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Tertiam: Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione: haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

404. Quartam: Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare: falsam et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Quintam; Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse: falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, praedicare aliter praesumant, quam in hac praesenti nostra declaratione et definitione continetur, sub censuris et poenis contra haereticos et eorum fautores in iure expressis.

Praecipimus pariter omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis aliisque locorum ordinariis, nec non haereticae pravitatis inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscunque per censuras et poenas praedictas ceteraque iuris et facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, omnino coerceant et compescant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem et definitionem super praedictis quinque propositionibus factam approbare ullatenus alias opiniones, quae continentur in praedicto libro Cornelii Iansenii.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae 1653. pridie Kalend. Iunii, Pontificatus nostri anno nono.

405. DAMNATIO ERRORUM PASCHASII QUESNELLI.

Bulla Clementis XI.

Clemens Episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus salutem et apostolicam benedictionem.

Unigenitus Dei Filius, pro nostra et totius mundi salute filius hominis factus, dum discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque ecclesiam suam in apostolis erudiret, praesentia disponens et futura prospiciens, praeclaro ac saluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus a falsis prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, quorum nomine potissimum demonstrantur magistri illi mendaces et in deceptione illusores, qui, splendida pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis, utque facilius incautis obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, et sese divinae legis sententiis velut quibusdam ovium velleribus obvolventes, sanctarum scripturarum, adeoque etiam ipsius novi testamenti verbis, quae multipliciter in suam aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur; antiqui scilicet, a quo progeniti sunt, mendacii parentis exemplo ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum praetendatur auctoritas.

His nos vere divinis monitis instructi, ubi primum non sine intima cordis nostri amaritudine accepimus, librum quendam gallico idiomate olim impressum, et in plures tomos distributum, sub titulo „*Le nouveau testament en Francois, avec de reflexions morales sur chaque verset etc. à Paris* 1699. aliter vero: *Abregé de la morale de l'évangile, des actes des apôtres, des epîtres de S. Paul, des epîtres canoniques, et de l'apocalypse, ou Pensées chrétiennes sur le texte de ces livres sacres etc. à Paris* 1693. et 1694.“: tametsi alias a nobis damnatum, ac revera catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhuc 406.
tamen tanquam ab omni errore immunem a pluribus haberi, Christi fidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilio et opera studiose nimis quaquaversum disseminari, etiam latine redditum, ut perniciosae institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem et de regno ad populum alterum, versutis huiusmodi seductionibus atque fallaciis creditum nobis dominicum gregem in viam perditionis sensim abduci summopere doluimus, adeoque pastoralis non minus curae nostrae stimulis, quam frequentibus orthodoxae fidei zelatorum querelis, maxime vero complurium venerabilium fratrum, praesertim Galliae episcoporum, literis ac precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quaeque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providae nostrae considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus summam huiusmodi libri perniciem ideo potissimum progredi et invalescere, quod eadem intus lateat, et velut improba sanies non nisi secto ulcere foras erumpat, quum liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat; molliti enim sunt sermones eius super oleum, sed ipsi sunt iacula, et quidem intento arcu ita ad nocen-

dum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius aut salubrius praestari a nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem libri doctrinam generatim solummodo a nobis hactenus indicatam, pluribus singulatim ex eo excerptis propositionibus distinctius et apertius explicaremus, atque universis Christi fidelibus noxia zizaniorum semina e medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis et quasi in propatulo positis non uno quidem aut altero, sed plurimis gravissimisque tum pridem damnatis tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino fore, ut omnes tandem apertae iam manifestaeque veritati cedere compellantur.

407. Id ipsum maxime e re catholica futurum, et sedandis praesertim in florentissimo Galliae regno exortis ingeniorum varie opinantium, iamque in acerbiores scissuras procedentium dissidiis apprime proficuum, conscientiarum denique tranquillitati perutile et propemodum necessarium, non modo praefati episcopi, sed et ipse in primis carissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex Christianissimus, cuius eximium in tuenda catholicae fidei puritate exstirpandisque erroribus zelum satis laudare non possumus, saepius nobis est contestatus; repetitis propterea vere piis et Christianissimo rege dignis officiis, atque ardentibus votis a nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati prolata quantocius apostolici censura iudicii consuleremus.

Hinc adspirante Domino, eiusque coelesti ope confisi, salutare opus sedulo diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus, ac plurimas ex praedicto libro, iuxta supra recensitas respective editiones, fideliter extractas, et tum gallico tum latino idiomate expressas propositiones a compluribus in sacra theologia magistris, primo quidem coram duobus ex venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus accurate discuti; deinde vero coram nobis, adhibito etiam aliorum plurium cardinalium consilio, quam maxima diligentia ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet libri textu exactissime facta collatione, plures iteratis congregationibus expendi et examinari mandavimus.

Sequuntur propositiones damnatae CI.

1. *Prop.* Quid aliud remanet animae, quae Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum et peccati consecutiones, superba paupertas et segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem et ad omne opus bonum? Exstat haec propositio in observationibus moralibus Quesnelli ad Lucae cap. XVI. vers. 3.

408. 2. Iesu Christi gratia, principium efficax boni cuiuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum, absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest. Ioan. XV. v. 5. Ed. 1693.

3. In vanum Domine praecipis, si tu ipse non das quod praecipis. Act. XVI. 10.

4. Ita, Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo. Marc. IX. 22.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiae suae, exhortationes et gratiae exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum. Rom. IX. 18. Ed. 1693.

6. Discrimen inter foedus Iudaicum et Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati et implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero Deus peccatori dat quod iubet, illum sua gratia purificando. Rom. XI. 27.

7. Quae utilitas pro homine in veteri foedere, in quo Deus illum reliquit eius propriae infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quae vero felicitas non est admitti ad foedus, in quo Deus nobis donet quod petit a nobis? Hebr. VIII. 7.

8. Nos non pertinemus ad novum foedus, nisi in quantum participes sumus ipsius novae gratiae, quae operatur in nobis id, quod Deus nobis praecipit. Hebr. VIII. 10.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus. 1. Corinth. XII. 3. 1693.

10. Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare. Matth. XX. 34.

11. Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei, iubentis et facientis quod iubet. Marc. II. 11.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei. Marc. II. 11.

13. Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit. Luc. V. 13. 1693.

14. Quantumcunque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando 409.
Iesus se ei videndum exhibet lumine salutari suae gratiae, oportet ut se dedat, accurrat, sese humiliet, et adoret Salvatorem suum. Marc. V. 67. 1693.

15. Quando Deus mandatum suum, et suam externam locutionem comitatur unctione sui Spiritus et interiori vi gratiae suae, operatur illam in corde obedientiam, quam petit. Luc. IX. 60.

16. Nullae sunt illecebrae, quae non cedant illecebris gratiae, quia nihil resistit Omnipotenti. Act. VIII. 12.

17. Gratia est vox illa Patris, quae homines interius docet, ac eos venire facit ad Iesum Christum; quicunque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre. Ioan. VI. 45.

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum. Act. XI. 21.

19. Dei gratia nihil aliud est, quam eius omnipotens voluntas: haec

est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis scripturis. Rom. XIV. 4. 1693.

20. Vera gratiae idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, et obeditur; imperat, et omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt. Marc. IV. 39.

21. Gratia Iesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quae est operatio voluntatis omnipotentis, sequela et imitatio operationis Dei, incarnantis et resuscitantis Filium suum. 2. Cor. V. 21. 1693.

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico nobis in incarnatione, veluti fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiae et gratiae, quae omnes gratuitae atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio. Luc. I. 48.

23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suae gratiae, eam significans per illam, quae creaturas e nihilo producit, et mortuis reddit vitam. Rom. IV. 17.

410. 24. Iusta idea, quam centurio habet de omnipotentia Dei et Iesu Christi in sanandis corporibus solo motu suae voluntatis, est imago ideae, quae haberi debet de omnipotentia suae gratiae in sanandis animabus a cupiditate. Luc. VII. 7.

25. Deus illuminat animam, et eam sanat aeque ac corpus sola sua voluntate; iubet, et ipsi obtemperatur. Luc. XVIII. 42.

26. Nullae dantur gratiae, nisi per fidem. Luc. VIII. 48.

27. Fides est prima gratia et fons omnium aliarum. 2. Pet. I. 3.

28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio. Marc. XI. 25.

29. Extra ecclesiam nulla conceditur gratia. Luc. X. 35, 36.

30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter. Ioan. VI. 40.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat. Ioan. XX. 19.

32. Iesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est electos, de manu angeli exterminatoris. Gal. IV. 4, 5, 6, 7.

33. Proh! quantum oportet bonis terrenis et sibimet ipsi renunciasse ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Iesum, eius amorem, mortem et mysteria, ut facit sanctus Paulus dicens: *qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Gal. II. 20.

34. Gratia Adami non producebat nisi merita humana. 2. Cor. V. 21. 1693.

35. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae. 2. Cor. V. 21.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami, et status innocentiae ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset; ista vero non recipitur, nisi in persona Iesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus. Rom. VII. 4.

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; gratia Christiana, nos sanctificando in Iesu Christo, 411.
est omnipotens, et digna Filio Dei. Eph. I. 6.

38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris. Luc. VIII. 9.

39. Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se praecipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum. Matth. XX. 3. 4.

40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem. 2. Thess. III. 18. 1693.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo, et sine gratia non producit nisi praesumptionem, vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris. Rom. I. 19.

42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sine hoc nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas. Act. XI. 9.

43. Primus effectus gratiae baptismalis est, facere ut moriamur peccato adeo, ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitae pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi. Rom. VI. 2. 1693.

44. Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostrae nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; et amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, et propter hoc ipsum fit malus. Ioan. V. 29.

45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones eius corrumpat. Luc. XV. 13. 1693.

46. Cupiditas aut caritas usum sensuum bonum vel malum faciunt. Matth. V. 28.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est caritas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria eius finis, tum purum est quod apparet exterius; alioquin non 412.
est nisi hypocrisis aut falsa iustitia. Matt. XXV. 26. 1693.

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio et nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo et sine caritate? Eph. V. 8.

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei. Marc. VII. 22, 23.

50. Frustra clamamus ad Deum: *Pater mi*, si spiritus caritatis non est ille, qui clamat. Rom. VIII. 15.

51. Fides iustificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per caritatem. Act. XIII. 39.

52. Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo

germine et semine; sed haec fides non est absque amore et fiducia. Act. X. 43.

53. Sola caritas Christiano modo facit [actiones Christianas] per relationem ad Deum et Iesum Christum. Coloss. III. 14.

54. Sola caritas est, quae Deo loquitur; eam solam Deus audit. 1. Cor. XIII. 1.

55. Deus non coronat nisi caritatem; qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit. 1. Cor. IX. 24.

56. Deus non remunerat nisi caritatem, quoniam caritas sola Deum honorat. Matt. XXV. 36.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes, et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. Matt. XXVII. 5.

58. Nec Deus est, nec religio, ubi non est caritas. 1. Ioan. IV. 8.

59. Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos iudicium. Ioan. X. 25. 1693.

60. Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem. Matth. XXVII. 5.

61. Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore iustitiae non ducitur. Luc. XX. 19.

62. Qui a malo non abstinet, nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et iam est reus coram Deo. Matth. XXI. 46.

413. 63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut Iudaeus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore. Rom. VI. 14.

64. Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando. Gal. V. 28.

65. Moyses, prophetae, sacerdotes et doctores legis mortui sunt absque eo, quod ullum Deo dederint filium, quum non effecerint, nisi mancipia per timorem. Marc. XII. 19.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiae, sed per fidem et per amorem, sicuti filii. Hebr. XII. 26. 1693.

67. Timor servilis non sibi repraesentat Deum, nisi ut dominum durum, imperiosum, iniustum, intractabilem. Luc. XIX. 21. 1693.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide et precibus. Act. II. 21.

69. Fides, usus, augmentum et praemium fidei, totum est donum purae liberalitatis Dei. Marc. IX. 22.

70. Nunquam Deus affligit innocentes, et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. Ioan. IX. 3.

71. Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter eius utilitatem. Marc. II. 28.

72. Nota ecclesiae Christianae est, quod sit catholica, comprehendens et omnes angelos coeli, et omnes electos, et iustos terrae et omnium saeculorum. Hebr. XII. 22, 23, 24.

73. Quid est ecclesia, nisi coetus filiorum Dei, manentium in eius sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in eius persona, redemptorum eius sanguine, viventium eius spiritu, agentium per eius gratiam, et exspectantium gratiam futuri saeculi? 2. Thess. I. 1, 2. 1693.

74. Ecclesia sive integer Christus incarnatum verbum habet ut caput, omnes vero sanctos ut membra. 1. Tim. III. 16.

75. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, 414.
quorum Christus est caput, vita, subsistentia et persona; unus solus Christus compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator. Eph. II. 14, 15, 16.

76. Nihil spatiosius ecclesia Dei, quia omnes electi et iusti omnium saeculorum illam compónunt. Eph. II. 22.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei et membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, et Christum pro capite. 1. Ioan. II. 24. 1693.

78. Separatur quis a populo electo, cuius figura fuit populus Iudaicus, et caput est Iesus Christus, tam non vivendo secundum evangelium, quam non credendo evangelio. Act. III. 23.

79. Utile et necessarium est omni tempore, omni loco et omni personarum generi, studere et cognoscere spiritum, pietatem, et mysteria sacrae scripturae. 1. Cor. XIV. 5.

80. Lectio sacrae scripturae est pro omnibus. Act. VIII. 28.

81. Obscuritas sancti verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab eius lectione. Act. VIII. 31.

82. Dies dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia sanctarum scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere. Act. XV. 21.

83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari feminis lectione sacrorum librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est scripturarum abusus, et natae sunt haereses. Ioan. IV. 26.

84. Abripere e Christianorum manibus novum testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare. Matth. V. 2.

85. Interdicere Christianis lectionem sacrae scripturae, praesertim evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere, ut patiantur speciem quandam excommunicationis. Luc. XI. 33. 1593.

86. Eripere simplici populo hoc solatium, iungendi vocem suam voci totius ecclesiae, est usus contrarius praxi apostolicae et 415.
intentioni Dei. 1 Cor. XIV. 16.

87. Modus plenus sapientia, lumine et caritate est dare animabus tempus portandi cum humilitate, et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis, et incipiendi ad

minus satisfacere iustitiae Dei, antequam reconcilientur. Act. VIII. 9.

88. Ignoramus quid sit peccatum et vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem. Luc. XVII. 11, 12.

89. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod, quum sit iam reconciliatus, habet ius assistendi sacrificio ecclesiae. Luc. XV. 23. 1693.

90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores de consensu saltem praesumpto totius corporis. Matth. XVIII. 17.

91. Excommunicationis iniustae metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro, nunquam eximus ab ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Iesu Christo atque ipsi ecclesiae per caritatem affixi sumus. Ioan. IX. 22, 23.

92. Pati potius in pace excommunicationem et anathema iniustum, quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum; tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem. Rom. IX. 3.

93. Iesus quandoque sanat vulnera, quae praeceps primorum pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato. Iesus restituit quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt. Ioan. XVIII. 11.

94. Nihil peiorem de ecclesia opinionem ingerit eius inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, et foveri divisiones propter res, quae nec fidem laedunt, nec mores. Rom. XIV. 16.

95. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, et modus eas praedicandi est veluti idioma incognitum, adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, et supra communem captum fidelium; neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis ecclesiae, et irae Dei in filios suos. 1. Cor. XIV. 21. 1699. 416.

96. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariae praedicatoribus veritatis, ut eius victoria attribui non possit nisi divinae gratiae. Act. XVII. 8.

97. Nimis saepe contingit, membra illa, quae magis sancte ac magis stricte unita ecclesiae sunt, respici atque tractari tanquam indigna, ut sint in ecclesia vel tanquam ab ea separata; sed iustus vivit ex fide, et non ex opinione hominum. Act. IV. 11.

98. Status persecutionis et poenarum, quas quis tolerat tanquam haereticus flagitiosus et impius, ultima plerumque probatio est, et maxime meritoria, utpote quae facit hominem magis conformem Iesu Christo. Luc. XXII. 37.

99. Pervicacia, praeventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut cognoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie

quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitae, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla etc. 2. Cor. II. 16.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem eiusque discipulos: tempus hoc advenit ... Haberi et tractari a religionis ministris tanquam impium et indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, et zelo quodam religionis, persequendo flamma ferroque viros probos, si propria passione est excaecatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum. Ioan. XVI. 2.

101. Nihil spiritui Dei et doctrinae Iesu Christi magis opponitur, quam communia facere iuramenta in ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones peierandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere, ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum. Matth. V. 37. 417.

Auditis itaque tum voce tum scripto nobis exhibitis praefatorum cardinalium aliorumque theologorum suffragiis, divinique in primis luminis privatis ad eum finem publicisque etiam indictis precibus implorato praesidio, omnes et singulas propositiones praeinsertas tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, ecclesiae et eius praxi iniuriosas, neque in ecclesiam solum, sed etiam in potestates saeculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de haeresi, ac haeresim ipsam sapientes, nec non haereticis, et haeresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, haeresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam haereticas, variasque haereses, et potissimum illas, quae in famosis Iansenii propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hae damnatae fuerunt, acceptis, continentur, manifeste innovantes respective, hac nostra perpetua valitura constitutione declaramus, damnamus et reprobamus.

Mandamus omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, praedicare aliter praesumant, quam in hac eadem nostra constitutione continetur, ita ut quicunque illas vel illarum aliquam coniunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputative, publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ecclesiasticis censuris aliisque contra similia perpetrantes a iure statutis poenis ipso facto absque alia declaratione subiaceat.

Ceterum per expressam praefatarum propositionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus, quum praesertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus propositiones istis, quae ut supra damnatae fuerunt, consimiles et affines, iisdemque erroribus imbutas, nec sane

paucas sub imaginario quodam veluti grassantis hodie persecutionis
418. obtentu inobedientiam et pervicaciam nutrientes, easque falso Christianae patientiae nomine praedicantes; quas propterea singulatim recensere et nimis longum esse duximus et minime necessarium, ac demum, quod intolerabilius est, sacrum ipsum novi testamenti textum damnabiliter vitiatum comperimus, et alteri dudum reprobatae versioni gallicae Montensi in multis conformem: a vulgata vero editione, quae tot saeculorum usu in ecclesia probata est, atque ab orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem et aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos ac saepe noxios sensus non sine maxima perversitate detortum.

Eundem propterea librum, utpote per dulces sermones et benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piae institutionis imagine, seducendis innocentium cordibus longe accommodatum, sive praemissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicunque et quocunque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, auctoritate apostolica tenore praesentium iterum prohibemus ac similiter damnamus, quemadmodum etiam alios omnes et singulos in eius defensionem tam scripto quam typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem et usum omnibus et singulis Christi fidelibus sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda prohibemus pariter et interdicimus.

Praecipimus insuper venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis aliisque locorum ordinariis, nec non haereticae pravitatis inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscunque per censuras et poenas praefatas, aliaque iuris et facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, omnino coerceant et compellant.

Volumus autem etc. Nulli autem hominum liceat etc. Anno Incarnationis dominicae 1713. 6. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno octavo.

419.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Auctorem fidei et consummatorem Iesum adspicientes nos iubet Apostolus[1]) sedulo recogitare, qualem quantamque ille sustinuit a

1) Ad Hebr. XII. 4.

peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne laboribus et periculis defatigati deficiamus aliquando animis nostris, paeneque concidamus. Hac saluberrima cogitatione muniri nos ac refici tum maxime necessum est, quum adversus corpus ipsummet Christi, quod est ecclesia[2]), dirae istius nec unquam desituraе coniurationis aestus acrius exardescit, ut a Domino confortati, et in potentia virtutis eius, scuto fidei protecti resistere possimus in die malo et omnia tela iniquissimi ignea exstinguere[3]). In hoc sane motu temporum, in hac rerum perturbatissima conversione gravis est quidem bonis omnibus contra omnes cuiusque generis Christiani nominis hostes colluctatio subeunda; gravior nobis, quibus pro credita pastorali nostrae sollicitudini gregis totius cura et moderatione maior cunctis Christianae religionis zelus incumbit[4]). Verum in hac ipsa oneris gravitate, quae humeris nostris imposita est, portandi onera omnium, qui gravantur, quo magis conscii nobis sumus infirmitatis nostrae, eo firmiorem in spem erigit nos et sublevat apostolici huiusce muneris in persona B. Petri divinitus instituta ratio, ut, qui semel tradita sibi a Christo ecclesiae gubernacula nunquam derelicturus erat, ipse apostolicae gubernationis onera in 420.
illis portare non desineret, quos ei Deus protegendos perpetua successione ac tuendos heredes dedisset.

Et in hisce quidem aerumnis, quae undique circumstant, ad ceterarum molestiarum velut cumulum accessit, ut unde oportuerat nos gaudere, maiorem inde tristitiam hauriremus; quippe quum[5]) aliquis sacrosanctae ecclesiae Dei praepositus sub sacerdotis nomine ipsum Christi populum a tramite veritatis in praeceps deviae persuasionis avertit, et hoc in amplissima Urbe, tum plane est geminanda lamentatio, et maior sollicitudo adhibenda.

Fuit sane non in ultimis terris, verum in media luce Italiae, sub oculis Urbis, et prope Apostolorum limina; fuit episcopus duplicis sedis honore insignis (Scipio de Ricciis antea episcopus Pistorien. et Praten.), quem ad nos pro pastorali munere suscipiendo accedentem paterna caritate complexi sumus, qui vicissim nobis atque huic apostolicae sedi in ipso sacrae suae ordinationis ritu debitam fidem et obedientiam solennis iurisiurandi religione obstrinxit.

Atque is ipse, non longo intervallo postea, quam a complexu nostro cum osculo pacis dimissus ad commissas sibi plebes accessit, coacervatorum perversae sapientiae magistrorum fraudibus circumventus eo coepit intendere, ut quam superiores antistites ex ecclesiastica regula laudabilem et pacatam Christianae institutionis formam iam pridem invexerant ac paene defixerant, non ille pro eo, ac debebat, tueretur, coleret, perficeret, sed contra per speciem

2) Ad Colos. I. 18. — 3) Ad Ephes. VI. 16. — 4) S. Siricius ad Himerium Tarrac. Epist. I. apud Coust. — 5) S. Coelestinus I. ep. XII. apud Coust.

fictae reformationis importunis inducendis novitatibus perturbaret, convelleret, funditus everteret.

Quin etiam quum et hortatu nostro ad synodum dioecesanam animum adiunxisset, praefracta eius in suo sensu pertinacia effectum est, ut unde remedium aliquod vulnerum petendum erat, inde
421. gravior pernicies enasceretur. Sane postquam synodus haec Pistoriensis e latebris erupit, in quibus aliquamdiu abdita delituit, nemo fuit de summa religione pie sapienterque sentiens, qui non continuo adverterit, hoc fuisse auctorum consilium, ut quae antea per multiplices libellos pravarum doctrinarum semina sparserant, ea in unum velut corpus compingerent, proscriptos dudum errores exsuscitarent, apostolicis, quibus proscripti sunt, decretis fidem auctoritatemque derogarent.

Quae quum cerneremus, quo graviora sunt per se, tanto impensius pastoralis nostrae sollicitudinis opem efflagitare, mentem convertere non distulimus ad ea capienda consilia, quae surgenti malo vel sanando, vel comprimendo accommodatiora viderentur.

Atque in primis sapientis moniti memores praedecessoris nostri B. Zosimi[6]), ea, quae magna sunt, magnum pondus examinis desiderare, synodum ab episcopo editam primum quatuor episcopis, aliisque adiunctis e clero saeculari theologis examinandam commisimus; tum et plurium S. R. E. cardinalium, aliorumque episcoporum congregationem deputavimus, qui totam actorum seriem diligenter perpenderent, loca inter se dissita conferrent, excerptas sententias discuterent. Quorum suffragia coram nobis voce, et scripto edita excepimus; qui et synodum universe reprobandam, et plurimas inde collectas propositiones, alias quidem per sese, alias attenta sententiarum connexione plus minusve acribus censuris perstringendas censuerunt; quorum auditis perpensisque animadversionibus illud quoque nobis curae fuit, ut selecta ex tota synodo praecipua quaedam pravarum doctrinarum capita, ad quae potissimum fusae per synodum reprobandae sententiae directe vel indirecte referuntur, in certum deinceps ordinem redigerentur, eisdemque sua cuique peculiaris censura subiiceretur.

422. Ne vero ex hac ipsa tametsi accuratissime peracta sive locorum collatione, sive sententiarum disquisitione, pervicaces homines obtrectandi occasionem arriperent, ut huic forte iam paratae calumniae obviam iretur, sapienti consilio uti statuimus, quod in emergentibus huiusmodi periculosis noxiisque novitatibus reprimendis plures nostri sanctissimi praedecessores, tum et gravissimi antistites, ac generales etiam synodi rite cauteque adhibitum, illustribus exemplis testatum commendatumque reliquissent.

Norant illi versutam novatorum fallendi artem, qui catholicarum aurium offensionem veriti, captionum suarum laqueos persaepe

6) S. Zosimus ep. II. apud Coust.

student subdolis verborum involucris obtegere, ut inter discrimina sensuum[7]) latens error lenius influat in animos, fiatque ut corrupta per brevissimam adiectionem aut commutationem veritate sententiae confessio, quae salutem operabatur, subtili quodam transitu vergat in mortem. Atque haec quidem involuta fallax disserendi ratio cum in omni orationis genere vitiosa est, tum in synodo minime ferenda, cuius est haec laus praecipua, eam in docendo dilucidam consectari dicendi rationem, quae nullum offensionis periculum relinquat. Quo in genere proinde si quid peccatum sit, hac nequeat, quae afferri solet, subdola excusatione defendi, quod quae alicubi durius dicta exciderint, ea locis aliis planius explicata aut etiam correcta reperiantur, quasi procax isthaec affirmandi et negandi, ac secum pro libito pugnandi licentia, quae fraudulenta semper fuit novatorum astutia ad circumventionem erroris, non potius ad prodendum, quam ad excusandum errorem valeret, aut quasi rudibus praesertim, qui in hanc vel illam forte inciderint partem synodi vulgari lingua omnibus expositae, praesto semper essent alia, quae inspicienda forent, dispersa loca, aut his etiam inspectis satis
cuique facultatis suppeteret ad ea sic per se componenda, ut, quem- 423.
admodum perperam isti effutiunt, erroris omne periculum effugere valerent. Exitiosissimum profecto insinuandi erroris artificium, quod in Constantinopolitani antistitis Nestorii literis iam olim sapienter detectum gravissima reprehensione praedecessor noster Coelestinus[8]) coarguit; quibus nempe in literis vestigatus veterator ille, deprensus et tentus, suo se multiloquio labefaciens, dum vera involvens obscuris, rursus utraque confundens vel confiteretur negata, vel niteretur negare confessa. Ad quas depellendas insidias nimium saepe omni aetate renovatas non alia potior via inita est, quam ut iis exponendis sententiis, quae sub latibulo ambiguitatis periculosam suspiciosamque involvunt discrepantiam sensuum, perversa significatio notaretur, cui subesset error, quem catholica sententia reprobaret.

Quam et nos moderationis plenam rationem eo libentius amplexi sumus, quo magis ad reconciliandos animos, et ad unitatem spiritus in vinculo pacis adducendos (quod favente Deo in pluribus gaudemus iure feliciter evenisse) magno fore adiumento prospeximus, providere primum, ne pertinacibus, si qui supererunt, quod Deus avertat, synodi sectatoribus integrum sit posthac ad novas turbas ciendas iustae suae damnationis consortes veluti ac socias sibi adsciscere scholas catholicas, quas invitas plane ac repugnantes per detortam quandam affinium vocabulorum similitudinem in expressa, quam illae testantur sententiarum dissimilitudinem, in partes suas pertrahere nituntur. Deinde si quos imprudentes ali-

7) S. Leo M. ep. CXXIX. edit. Baller. — 8) S. Coelestinus ep. XIII. n. 2. ap. Coust.

qua fefellit adhuc praeconcepta mitior opinio de synodo, his etiam omnis conquerendi locus praecludatur, qui si recte sapiunt, ut videri volunt, aegre ferre nequeant doctrinas damnari sic denotatas, quae errores prae se ferant, a quibus ipsi profitentur se longissime abesse.

424. Necdum tamen satis ex animo lenitati nostrae factum putavimus, seu verius caritati, quae urget nos erga fratrem nostrum, cui omne ope volumus, si adhuc possumus, subvenire[9]). Caritas nempe illa urget nos, qua inductus praedecessor noster Coelestinus[10]) etiam contra fas, seu maiori, quam fas esse videretur, patientia sacerdotes corrigendos exspectare non abnuebat. Magis enim cum Augustino[11]) Milevitanisque Patribus volumus et optamus homines prava docentes pastorali cura in ecclesia sanari, quam desperata salute ex illa resecari, si necessitas nulla compellat.

Quam ad rem, ne quod genus officii ad lucrandum fratrem praetermissum videretur, praefatum episcopum, antequam ad ulteriora progrederemur, amantissimis literis ad eum iussu nostro datis ad nos acciendum duximus, polliciti fore, ut benevolo animo a nobis exciperetur, nec vetaretur, quin quae in rem suam facere sibi viderentur libere aperteque expromeret. Nec vero spes nos omnis deseruerat fieri posse, ut, siquidem animum illum docibilem afferret, quem ex Apostoli sententia in episcopo maxime Augustinus[12]) requirebat, quum simpliciter et candide, omni remota concertatione et acerbitate, recognoscenda ei proponerentur praecipua doctrinarum capita, quae visa essent maiori animadversione digna, tum facile sese ipse colligens non dubitaret, quae ambigue posita essent in saniorem sensum exponere, quaeve manifestam pravitatem prae se ferrent aperte repudiare, atque ita magna cum sui nominis existimatione tum laetissima bonorum omnium gratulatione, pacatissima, qua fieri posset, ratione orti in ecclesia strepitus optatissima correctione comprimerentur[13]).

Nunc vero, quum ille oblato beneficio incommodae valetudinis
425. nomine minus utendum sibi esse censuerit, differre iam non possumus, quin apostolico nostro muneri satisfaciamus. Non unius tantummodo alteriusve dioecesis periculum agitur: *universalis ecclesia quacunque novitate pulsatur*[14]). Undique iam pridem non exspectatur modo, verum assiduis repetitis precibus efflagitatur supremae apostolicae sedis iudicium. Absit, ut vox Petri in illa unquam sede sua conticescat, in qua perpetuo vivens ille ac praesidens praestat quaerentibus fidei veritatem[15]). Tuta non est in talibus longior conniventia, quia tantundem paene criminis est connivere in talibus, quanti est tam irreligiosa praedicare[16]). Abscindendum igitur tale vulnus, quo non unum membrum laeditur, sed totum corpus ecclesiae sauciatur[17]), atque divina opitulante pietate providendum, ut amputatis dissensionibus fides catholica inviolata servetur, et his, qui prava defendunt, ab errore revocatis, nostra auctoritate, quorum fides probata fuerit, muniantur[18]).

9) S. Coelest. ep. 14. ad populum C. P. n. 8. ap. Coust. — 10) Ep. 13. ad Nestor. n. 9. — 11) Epist. 176. n. 4. 178. n. 2. edit. Maur. — 12) L. 4. de bapt. cont. Donat. c. 5., et l. 5. c. 26. — 13) S. Coelest. ep. 16. n. 2. apud. Coust. — 14) S. Coelest. ep. 21. ad episcopos Galliarum. — 15) Chrysol. ep. ad Eutychem.

Implorato itaque cum assiduis nostris tum et piorum Christifidelium privatis publicisque precibus Spiritus sancti lumine, omnibus plene et mature consideratis, complures ex actis et decretis memoratae synodi propositiones, doctrinas, sententias, sive expresse traditas, sive per ambiguitatem insinuatas, suis, ut praefatum est, cuique appositis notis, et censuris damnandas et reprobandas censuimus, prout hac nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et reprobamus.

Sunt autem quae sequuntur.

DE OBSCURATIONE VERITATUM IN ECCLESIA. 426.

Ex Decr. de grat. §. 1.

I. Propositio, quae asserit: „Postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei, et moralis doctrinae Iesu Christi“: — *Haeretica.*

DE POTESTATE COMMUNITATI ECCLESIAE ATTRIBUTA, UT PER HANC PASTORIBUS COMMUNICETUR.

Epist. convoc.

II. Propositio, quae statuit: „Potestatem a Deo datam ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum,“ — sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: *Haeretica.*

DE CAPITIS MINISTERIALIS DENOMINATIONE ROMANO PONTIFICI ATTRIBUTA.

Decret. de fide §. 8.

III. Insuper quae statuit: „Roman. Pontificem esse caput ministeriale,“ — sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona B. Petri, sed ab ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius, ac totius ecclesiae caput pollet in universa ecclesia: *Haeretica.*

16) S. Coelest. ep. 12. n. 2. — 17) Idem ep. 11. Cyrillo n. 3. — 18) S. Leo M. ep. 23. Flaviano C. P. n. 2.

427. DE POTESTATE ECCLESIAE QUOAD CONSTITUENDAM ET SANCIENDAM EXTERIOREM DISCIPLINAM.

Decr. de fide §§. 13. 14.

IV. Propositio affirmans: „Abusum fore auctoritatis ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id, quod pendet à persuasione et corde, tum etiam multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis,“ — quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis ecclesiae, usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda: *Haeretica.*

V. Qua parte insinuat, ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione, — quatenus intendat ecclesiam „non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi,“ (ex Bened. XIV. in brevi *Ad assiduas*, anni 1755. Primati, archiepiscopis, et episcopis regni Polon.): *Inducens in systema alias damnatum ut haereticum.*

IURA EPISCOPIS PRAETER FAS ATTRIBUTA.

Decr. de ord. §. 25.

VI. Doctrina synodi, qua profitetur: „Persuasum sibi esse, episcopum accepisse a Christo omnia iura necessaria pro bono regimine suae dioecesis,“ — perinde ac si ad bonum regimen cuiusque dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes spectantes sive
428. ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum ius est penes summos Pontifices et concilia generalia pro universa ecclesia: *Schismatica, ad minus erronea.*

VII. Item in eo, quod hortatur episcopum „ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticae disciplinae constitutionem, idque, contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quae adversantur bono ordini dioecesis, maiori gloriae Dei et maiori aedificationi fidelium,“ — per id, quod supponit episcopo fas esse proprio suo iudicio et arbitratu statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in universa ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchicae potestatis, a qua inductae sunt aut probatae, et vim legis obtinent: *Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.*

VIII. Item, quod et sibi persuasum esse ait, „Iura episcopi a Iesu Christo accepta pro gubernanda ecclesia nec alterari, nec impediri posse; et ubi contigerit horum iurium exercitium quavis de causa

fuisse interruptum, posse semper episcopum ac debere in originaria sua iura regredi, quotiescunque id exigit maius bonum suae ecclesiae,“ — in eo, quod innuit iurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate praepediri aut coerceri posse, quandocunque episcopus proprio iudicio censuerit minus id expedire maiori bono suae ecclesiae: *Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.*

IUS PERPERAM TRIBUTUM INFERIORIS ORDINIS SACERDOTIBUS IN DECRETIS FIDEI ET DISCIPLINAE.

Epist. convoc.

IX. Doctrina, quae statuit: „Reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in synodis dioecesanis ab episcopo et pa- 429.
rochis aequaliter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subiectionem suggestionibus et iussionibus episcoporum:“ *Falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi Arianae a Calvino innovatae.*

Ex ep. convoc. Ex. ep. ad vic. for. Ex orat. ad syn. §. 8. *Ex sess.* 3.

X. Item doctrina, qua parochi, aliive sacerdotes in synodo congregati pronunciantur una cum episcopo iudices fidei, et simul innuitur iudicium in causis fidei ipsis competere iure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto: *Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum iudiciorumve dogmaticorum ecclesiae, ad minus erronea.*

Orat. synod. §. 8.

XI. Sententia enuncians, veteri maiorum instituto ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora ecclesiae saecula servato, receptum fuisse, „ut decreta, aut definitiones, aut sententiae etiam maiorum sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent et approbatae a synodo dioecesana“: *Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiae debitae constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et haeresim.*

CALUMNIAE ADVERSUS ALIQUAS DECISIONES IN MATERIA FIDEI AB ALIQUOT SAECULIS EMANATAS.

De fide §. 12.

XII. Assertiones synodi complexive acceptae circa decisiones 430.
in materia fidei ab aliquot saeculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari ecclesia vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendae puritati fidei, ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt

vulnera nimium adhuc recentia: *Falsae, captiosae, temerariae, scandalosae, in Romanos Pontifices et ecclesiam iniuriosae, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogantes, schismaticae, perniciosae, ad minus erroneae.*

DE PACE DICTA CLEMENTIS IX.

Or. synod. §. 2. *in nota.*

XIII. Propositio relata inter acta synodi, quae innuit Clementem IX. pacem ecclesiae reddidisse per approbationem distinctionis iuris et facti in subscriptione formulari ab Alexandro VII. praescripti: *Falsa, temeraria, Clementi IX. iniuriosa.*

XIV. Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, eiusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando: *Temeraria, perniciosa, summis Pontificibus iniuriosa, schisma fovens et haeresim.*

DE COAGMENTATIONE CORPORIS ECCLESIAE.

Append. n. 28.

XV. Doctrina, quae proponit: „ecclesiam considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite et fidelibus, qui sunt eius membra per unionem infallibilem, qua mira-
431. biliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate,“ — intellecta hoc sensu, ut ad corpus ecclesiae non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate: *Haeretica.*

DE STATU INNOCENTIAE.

De grat. §§. 4. 7. *de sacr. in gen.* §. 1. *de poenit.* §. 4.

XVI. Doctrina synodi de statu felicis innocentiae, qualem eum repraesentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et iustitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem caritatis, atque primaevam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam, — quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanae naturae, non gratuitum Dei beneficium: *Falsa, alias damnata in Baio et Quesnellio, erronea, favens haeresi Pelagianae.*

DE IMMORTALITATE SPECTATA UT NATURALI CONDITIONE HOMINIS.

De bapt. §. 2.

XVII. Propositio his verbis enunciata: „Edocti ab Apostolo spectamus mortem non iam ut naturalem conditionem hominis, sed

revera ut iustam poenam culpae originalis.“ — quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est velut iusta poena peccati per iustam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio: *Captiosa, temeraria, Apostolo iniuriosa, alias damnata.*

DE CONDITIONE HOMINIS IN STATU NATURAE. 432.

De grat. §. 10.

XVIII. Doctrina synodi enuncians: „Post lapsum Adami Deum annunciasse promissionem futuri liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam Iesus Christus allaturus erat, tamen Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum, ac primum, ut in statu naturae homo relictus propriis luminibus disceret de sua caeca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis,“ — doctrina, ut iacet captiosa, atque intellecta de desiderio adiutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere: *Suspecta, favens haeresi semipelagianae.*

DE CONDITIONE HOMINIS SUB LEGE.

Ibid.

XIX. Item, quae subiungit, hominem sub lege, „quum esset impotens ad eam observandam, praevaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quae sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque praevaricator evasit,“ superadditque: „legem, si non sanavit cor hominis, effecisse, ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam mediatoris:“ — qua parte generaliter innuit hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare, quasi impossibile aliquid potuerit imperare qui iustus est, aut damnaturus sit hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius est, (ex S. Caesario serm. 73. in append. S. Augustini. Serm. 273. edit. Maur. — ex S. Aug. de nat. et gr. c. 43. — De grat. et lib. 433.
arb. c. 16. — Enar. in psal. 56. n. 1.): *Falsa, scandalosa, impia, in Baio damnata.*

XX. Qua parte datur intelligi, hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiae mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum, quasi non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis, (ex concil. Araus. II. can. 3.): *Propositio, ut iacet, captiosa, suspecta, favens haeresi semipelagianae.*

DE GRATIA ILLUMINANTE ET EXCITANTE.

De grat. §. 11.

XXI. Propositio, quae asserit: „Lumen gratiae, quando sit solum, non praestare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status et gravitatem nostri mali; gratiam in tali casu producere eundem effectum, quem lex producebat; ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti, hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam Iesu Christi, inspirationem caritatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinantur bona opera, hanc esse gratiam novi testamenti, quae nos liberat a servitute peccati, et constituit filios Dei," — quatenus intendat, eam solam esse proprie gratiam Iesu Christi, quae creet in corde sanctum amorem, et quae facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei, et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus sancti (Trid. sess. VI. cap. 5.), nec vera detur interior gratia Christi, cui
434. resistitur: *Falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Iansenii damnatum ut haereticum, eumque renovans.*

DE FIDE VELUT PRIMA GRATIA.

De fide §. 1.

XXII. Propositio, quae innuit: „fidem, a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et ecclesiam, esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur, et sunt," — perinde ac prior non esset gratia illa, quae ut praevenit voluntatem, sic praevenit et fidem, (ex S. Aug. de dono persev. c. 16. n. 41.): *Suspecta de haeresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.*

DE DUPLICI AMORE.

De grat. §. 8.

XXIII. Doctrina synodi de duplici amore dominantis cupiditatis et caritatis dominantis, enuncians hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere, — quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem huius influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur, aut opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacunque ratione fiant, sint peccata, quasi in omnibus suis actibus peccator
435. serviat dominanti cupiditati: *Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut haereticum, iterum in Baio damnatum art.* 40.

§. 12.

XXIV. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum remanserunt velut extrema lineamenta, et reliquiae imaginis Dei, — (ex S. Aug. de spir. et lit. c. 28.) perinde ac si inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur, non daretur dilectio humana licita, quae non reprehenditur, (ex S. Aug. serm. 349. de carit. edit. Maur.): *Falsa, alias damnata.*

DE TIMORE SERVILI.

De poenit. §. 3.

XXV. Doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet duntaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum, — quasi timor ipse gehennae, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem iustitiae: *Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis iniuriosa, alias damnata, contraria doctrinae concilii Tridentini, tum et communi patrum sententiae, opus esse iuxta consuetum ordinem praeparationis ad iustitiam, ut intret timor primo, per quem veniat caritas, timor me-* 436.
dicamentum, caritas sanitas. (ex S. Aug. in epist. Ioan. c. 4. tract. 9. n. 4. 5. — In Ioan. evang. tract. 41. n. 10. — Enarratione in psal. 127. n. 7. — Sermone 157. de verbis Apostoli c. 13. — Sermone 161. de verbis Apostoli n. 8. — Sermone 349. de caritate n. 7.)

DE POENA DECEDENTIUM CUM SOLO ORIGINALI.

De bapt. §. 3.

XXVI. Doctrinam, quae velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum, (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant,) in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur, — perinde ac si hoc ipso, quod qui poenam ignis removent inducerent locum illum et statum medium expertem culpae et poenae inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulabantur Pelagiani: *Falsa, temeraria in scholas catholicas iniuriosa.*

DE SACRAMENTIS, AC PRIMUM DE FORMA SACRAMENTALI CUM ADIUNCTA CONDITIONE.

De bapt. §. 12.

XXVII. Deliberatio synodi, qua praetextu adhaesionis ad antiquos canones in casu dubii baptismatis propositum suum declarat

de omittenda formae conditionalis mentione: *Temeraria, praxi, legi, auctoritati ecclesiae contraria.*

DE PARTICIPATIONE VICTIMAE IN SACRIFICIO MISSAE.

437. *De euch.* §. 6.

XXVIII. Propositio synodi, qua postquam statuit victimae participationem esse partem sacrificio essentialem, subiungit: „non tamen se damnare ut illicitas missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo, quia isti participant, licet minus perfecte, de ipsa victima, spiritu illam recipiendo,“ — quatenus insinuat ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus qui nec sacramentaliter, nec spiritualiter de victima participant; et quasi damnandae essent ut illicitae missae illae, in quibus solo sacerdote communicante nemo adsit, qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet: *Falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens.*

DE RITUS CONSECRATIONIS EFFICACIA.

De euch. §. 2.

XXIX. Doctrina synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1. Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus, 2. tunc omnem panis et vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transubstantiationis, seu conversionis totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum concilium definivit, et quae in solenni fidei professione continetur, — quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque
438. adeo ad eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica: *Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transubstantiationis, favens haereticis.*

DE APPLICATIONE FRUCTUS SACRIFICII.

De euch. §. 8.

XXX. Doctrina synodi, qua, dum profitetur: „credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen, ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis,“ dein continuo subiicit: „non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult; immo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem iura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet:“ unde et consequenter traducit velut „falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant,“ — sic intellecta, ut praeter peculiarem commemorationem et orationem specialis ipsa oblatio seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit, ceteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque, quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecipit ecclesia speciatim a pastoribus pro suis ovibus: quod velut ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina synodo diserte est expressum, (Sess. 23. cap. 1. de reform. — Bened. XIV. constit. *Quum semper oblatas.* §. 2.): *Falsa, temeraria, perniciosa, ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.*

DE CONVENIENTE ORDINE IN CULTU SERVANDO.

De euch. §. 5.

XXXI. Propositio synodi, enuncians conveniens esse pro di- 439.
vinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere: *Temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc saeculis in ecclesia praesertim latina vigenti et probato mori iniuriosa.*

Ibid.

XXXII. Item praescriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae floresve adponantur: *Temeraria, pio ac probato ecclesiae mori iniuriosa.*

Ibid. §. 6.

XXXIII. Propositio synodi, qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiae ordinem spectantium, revocando illam ad maiorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo, — quasi vigens ordo liturgiae ab ecclesia receptus, et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet: *Temeraria, piarum aurium offensiva, in ecclesiam contumeliosa, favens haereticorum in eam conviciis.*

DE ORDINE POENITENTIAE.

De poenit. §. 7.

XXXIV. Declaratio synodi, qua, postquam praemisit ordinem poenitentiae canonicae sic ad Apostolorum exemplum ab ec- 440.

clesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpae, sed praecipue pro dispositione ad gratiam, subdit: „se in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quae ipsi decursu temporis adiunctae sunt,“ — quasi per ordinem, quo sine peracto canonicae poenitentiae cursu hoc sacramentum per totam ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta: *Temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis sacramenti, prout per ecclesiam totam consuevit administrari, ecclesiae ipsi iniuriosa.*

De poenit. §. 10. *n.* 4.

XXXV. Propositio his verbis concepta: „Si caritas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum huius caritatis oportet, ut sacerdos praecedere faciat eos actus humiliationis et poenitentiae, qui fuerunt omni aetate ab ecclesia commendati; redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod ieiunium post iam collatam absolutionem videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen poenitentiae, quam medium illuminatum et aptum ad augendum illum servorum caritatis, qui debet praecedere absolutionem; longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi poenitentias etiam post absolutionem adimplendas; si omnia nostra bona opera semper adiunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostrae reconciliationis,“ — quatenus innuit poenitentias, quae imponuntur adimplendae post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostrae reconciliationis, quam ut poenitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis: quasi, ut vera ratio sacramenti, non nudum nomen servetur oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et poenitentiae, qui imponuntur per
441. modum satisfactionis sacramentalis, praecedere debeant absolutionem: *Falsa, temeraria, communi praxi ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum.*

DE PRAEVIA NECESSARIA DISPOSITIONE PRO ADMITTENDIS POENITENTIBUS AD RECONCILIATIONEM.

De grat. §. 15.

XXXVI. Doctrina synodi, qua postquam praemisit: „Quando habebuntur signa non aequivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito iudicari dignum, qui admittatur ad participationem sanguinis Iesu Christi, quae fit in sacramentis,“ subdit: „Suppositiitias conversiones, quae fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere, nec durabiles:“ consequenter „pastorem animarum debere insistere signis non aequivocis caritatis dominantis,

antequam admittat suos poenitentes ad sacramenta,“ quae signa, ut deinde tradit (§. 17.), „pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato et fervore in operibus bonis,“ quem insuper fervorem caritatis perhibet (de poenit. §. 10.) velut dispositionem, quae debet praecedere absolutionem, — sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quae passim attritionis nomine donatur, etiam quae iuncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis iustitiae fontem, nec modo contritio caritate formata, sed et fervor caritatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur, ut homo ad sacramenta, et speciatim poenitentes ad absolutionis beneficium admittantur: *Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutae ac probatae in ecclesia praxi contraria, sacramenti efficaciae detrahens et iniuriosa.*

DE AUCTORITATE ABSOLVENDI. 442.

De poenit. §. 10. *n.* 6.

XXXVII. Doctrina synodi, quae de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enunciat: „Post institutionem dioecesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque iudicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive iure quodam personali, propterea quod aliter confusio induceretur et perturbatio,“ — quatenus post institutas dioeceses et parochias enunciat tantummodo conveniens esse ad praecavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos, sic intellecta, tanquam ad validum usum huius potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa iurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam: *Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et iniuriosa, erronea.*

Ibid. §. 11.

XXXVIII. Item doctrina, qua postquam synodus professa est, „se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae,“ ut ait, „ad poenitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam,“ subiungit, „per timorem perpetuae exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis magnum fraenum illis iniectum iri, qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent:“ *Contraria can.* 13. *concilii Nicaeni I., decretali Innocentii I. ad Exuperium Tolos., tum et decretali Coelestini I. ad episcopos Viennen. et Narbonen. provinciae, redolens pravitatem, quam in ea decretali sanctus Pontifex exhorret.*

443. DE PECCATORUM VENIALIUM CONFESSIONE.

De poenit. §. 12.

XXXIX. Declaratio synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur eiusmodi confessiones: *Temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a S. conc. Trid. probatae contraria.*

DE INDULGENTIIS.

De poenit. §. 16.

XL. Propositio asserens: „Indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti," — quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam: *Falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in art.* 19. *Lutheri damnata.*

Ibid.

XLI. Item in eo, quod subditur: „Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum," — quasi thesauri ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum: *Falsa, temeraria, Christi, et sanctorum meritis iniuriosa, dudum in art.* 17. *Lutheri damnata.*

Ibid.

444. XLII. Item in eo, quod superaddit: „Luctuosius adhuc esse, quod chimerica isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos": *Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxin et sensum universalis ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art.* 22. *Lutheri.*

Ibid.

XLIII. In eo demum, quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata etc.: *Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices atque in praxin tota ecclesia frequentatam contumeliosa.*

DE RESERVATIONE CASUUM.

De poenit. §. 19.

XLIV. Propositio synodi assumens: „Reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem": *Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva.*

Ibid.

XLV. Item de spe, quam ostendit, fore: „ut reformato rituali et ordine poenitentiae nullum amplius locum habiturae sint huiusmodi reservationes," — prout attenta generalitate verborum innuit, per reformationem ritualis et ordinis poenitentiae factam ab episcopo vel synodo aboleri posse casus, quos Tridentina synodus (Sess. XIV. c. 7.) declarat Pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa ecclesia tradita peculiari suo iudicio reservare: *Propositio falsa, temeraria, concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans, et iniuriosa.* 446.

DE CENSURIS.

De poenit. §§. 20. 22.

XLVI. Propositio asserens: „Effectum excommunicationis exteriorem duntaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione ecclesiae," — quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in coelo, animas obligans, (ex S. Aug. ep. 250. Auxilio episcopo, Tract. 50. in Ioan. n. 12.): *Falsa, perniciosa, in art.* 23. *Lutheri damnata, ad minus erronea.*

§§. 21. 23.

XLVII. Item, quae tradit, necessarium esse iuxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem sive ad suspensionem praecedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas ipso facto non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actuali effectu: *Falsa, temeraria, perniciosa, ecclesiae potestati iniuriosa, erronea.*

§. 22.

XLVIII. Item, quae pronunciat: „Inutilem ac vanam esse formulam nonnullis abhinc saeculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset": *Falsa, temeraria, praxi ecclesiae iniuriosa.* 445.

§. 24.

XLIX. Item, quae damnat ut nullas et invalidas suspensiones ex informata conscientia: *Falsa, perniciosa, in Trid. iniuriosa.*

Ibid.

L. Item in eo, quod insinuat, soli episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (sess. XIV. c. 1. de

ref.), suspensionis ex informata conscientia legitime infligendae: *Iurisdictionis praelatorum ecclesiae laesiva.*

DE ORDINE.

De ordine §. 4.

LI. Doctrina synodi, quae perhibet, in promovendis ad ordines hanc more et instituto veteris disciplinae rationem servari consuevisse, „ut, si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitae, et dignus aestimabatur, qui ad ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad diaconatum vel sacerdotium, etiamsi inferiores ordines non suscepisset, neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est".

§. 5.

LII. Item, quae innuit, non alium titulum ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis praescripta est in concilio Chalcedonensi, subiungens (§. 6.), quamdiu ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum ordinem floruisse, verum beatos illos dies
447. transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii.

§. 7.

LIII. Item, quod inter haec ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait (§. 5.), ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem, — quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta, 1) sive quibus ordinationes per saltum vetitae sunt, 2) sive quibus pro ecclesiarum necessitate et commoditate probatae sunt ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii, salva obedientia, qua sic ordinati ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva ecclesia fieri consuevit, 3) sive quibus iure canonico facta est criminum distinctio, quae delinquentes reddunt irregulares, quasi per hanc distinctionem ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscunque, qui baptismalem innocentiam non conservassent: *Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones et speciatim per Trid. decreta probatam iniuriosa.*

§. 13.

LIV. Item, quae velut turpem abusum notat unquam praetendere eleemosynam pro celebrandis missis et sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum stolae, et generatim quodcunque stipendium et honorarium, quod suffra- 448.
giorum aut cuiuslibet parochialis functionis occasione offerretur, — quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri ecclesiae, dum secundum receptum et probatum ecclesiae morem et institutum utuntur iure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur: *Falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis iuris laesiva, in ecclesiam eiusque ministros iniuriosa.*

§. 14.

LV. Item, qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a cathedralibus et collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos et provectioris aetatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi missis et aliis officiis, velut acolythi etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando eius generis officia non ad meram speciem pro maioribus ordinibus suscipiendis redacta erant, — quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut minorum ordinum functiones per eos tantum praestentur exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt (concil. prov. IV. Mediol.), idque ad mentem Tridentini (Sess. XXIII. c. 17.), ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones ab apostolicis temporibus in ecclesia laudabiliter receptae, et in pluribus locis aliquamdiu intermissae iuxta sacros canones revocentur, nec ab haereticis tanquam otiosae traducantur: *Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandae, quoad fieri potest, in celebrandis mysteriis decentiae imminutiva, in minorum ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones et speciatim per Trid. probatam iniuriosa, favens haereticorum in eam conviciis et calumniis.*

§. 18.

LVI. Doctrina, quae statuit conveniens videri in impedimen- 449.
tis canonicis, quae proveniunt ex delictis in iure expressis, ullam unquam nec concedendam, nec admittendam esse dispensationem: *Aequitatis et moderationis canonicae a sacro concilio Tridentino probatae laesiva, auctoritati et iuribus ecclesiae derogans.*

Ibid. 22.

LVII. Praescriptio synodi, quae generaliter et indiscriminatim velut abusum reiicit quamcunque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur; item in eo, quod subiungit, certum sibi esse iuxta ecclesiae spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse: *Pro sua generalitate derogans moderationi Tridentini sess. VII. c. 5. et sess. XXIV. c. 17.*

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO.

Libell. memor. circa sponsalia etc. §. 2.

LVIII. Propositio, quae statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subiacere, — quasi actus disponens ad sacramentum non subiaceat sub hac ratione iuri ecclesiae: *Falsa, iuris ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab ecclesia constitutae derogans.*

450. *De matrim.* §§. 7. 11. 12.

LIX. Doctrina synodi, asserens: „Ad supremam civilem potestatem duntaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia," quod ius originarium praeterea dicitur cum iure dispensandi essentialiter connexum, subiungens: „supposito assensu vel conniventia principum potuisse ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii," — quasi ecclesia non semper potuerit ac possit in Christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare: *Canonum* 3. 4. 9. 12. *sess. XXIV. concil. Trid. eversiva, haeretica.*

Cit. lib. et memor. circa sponsal. §. 10.

LX. Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut „e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud, quod dicitur, publicae honestatis, quorum origo reperitur in collectione Iustiniani," tum, ut „restringat impedimentum affinitatis et cognationis ex quacunque licita aut illicita coniunctione provenientis ad quartum gradum iuxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam, ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae," — quatenus civili potestati ius attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta ecclesiae auctoritate constituta vel comprobata; item qua parte supponit ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse iure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis: *Libertatis ac potestatis ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta.*

451. DE OFFICIIS, EXERCITATIONIBUS, INSTITUTIONIBUS AD RELIGIOSUM CULTUM PERTINENTIBUS. ET PRIMUM DE ADORANDA HUMANITATE CHRISTI.

De fide §. 3.

LXI. Propositio, quae asserit: „Adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam eius partem, fore semper honorem divinum datum creaturae," — quatenus per hoc verbum „directe" intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se et tanquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur, (ex concil. CP. V. gen. can. 9.): *Falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens et iniuriosa.*

De orat. §. 17.

LXII. Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum cor Iesu reiicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas, — intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica sede probata: *Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam sedem iniuriosa.*

De orat. §. 10. *Et append. n.* 32.

LXIII. Item in eo, quod cultores cordis Iesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant, sanctissimam carnem Christi, aut eius partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione 452.
aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae, — quasi fideles cor Iesu adorarent cum separatione vel praecisione a divinitate, dum illud adorant, ut est cor Iesu, cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro: *Captiosa, in fideles cordis Christi cultores iniuriosa.*

DE ORDINE PRAESCRIPTO IN PIIS EXERCITATIONIBUS OBEUNDIS.

De orat. §. 14. *Append. n.* 34.

LXIV. Doctrina, quae velut superstitiosam universe notat „quamcunque efficaciam, quae ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum," — tanquam superstitiosa censenda esset efficacia, quae sumitur non ex numero in se spectato, sed ex praescripto ecclesiae, certum numerum precum vel externarum actionum praefinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis poenitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo: *Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium iniuriosa, ecclesiae auctoritati derogans, erronea.*

De poenit. §. 10.

LXV. Propositio enuncians, „Irregularem strepitum novarum institutionum, quae dictae sunt exercitia vel missiones, forte nunquam aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur, et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere,

nil aliud fuisse, quam transeuntia naturalis concussionis fulgura“:
453. *Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie, salutariter per ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato iniuriosa.*

DE MODO IUNGENDAE VOCIS POPULI CUM VOCE ECCLESIAE IN PRECIBUS PUBLICIS.

De orat. §. 24.

LXVI. Propositio asserens: „Fore contra apostolicam praxin et Dei consilia, nisi populo faciliores viae pararentur vocem suam iungendi cum voce totius ecclesiae,“ — intellecta de usu vulgaris linguae in liturgicas preces inducendae: *Falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione praescripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.*

DE LECTIONE SACRAE SCRIPTURAE.

Ex nota in fine decr. de gratia.

LXVII. Doctrina perhibens a lectione sacrarum scripturarum nonnisi veram impotentiam excusare, subiungens ultro se prodere obscurationem, quae ex huiusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates religionis: *Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.*

DE PROSCRIPTIS LIBRIS IN ECCLESIA PUBLICE LEGENDIS.

De orat. §. 29.

LXVIII. Laudatio, qua summopere synodus commendat Quesnellii commentationes in novum testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera, licet proscripta, eadem-
454. que parochis proponit, ut ea tanquam solidis religionis principiis referta in suis quisque parochiis populo post reliquas functiones perlegant: *Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, ecclesiae iniuriosa, schisma fovens et haeresin.*

DE SACRIS IMAGINIBUS.

De orat. §. 17.

LXIX. Praescriptio, quae generaliter et indistincte inter imagines ab ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem praebentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis: *Propter sui generalitatem temeraria, ac pio per ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullae exstent imagines sanctissimae Trinitatis communiter approbatae, ac tuto permittendae.* (Ex brevi *Sollicitudini nostrae*, Benedicti. XIV. an 1745.)

LXX. Item doctrina et praescriptio, generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere: *Temeraria, perniciosa, pio per ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiae ordini iniuriosa, quo ita Deus nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.* (Ex S. Aug. ep. 78. Clero, senioribus et universae plebi ecclesiae Hipponen.)

LXXI. Item, quae vetat, ne imagines praesertim B. Virginis ullis titulis distinguantur, praeterquam denominationibus, quae sint analogae mysteriis, de quibus in sacra scriptura expressa fit mentio, — quasi nec adscribi possent imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus ecclesiae probat et commendat: *Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi B.* 455.
praesertim Virgini debitae iniuriosa.

LXXII. Item, quae velut abusum exstirpari vult morem, quo velatae asservantur certae imagines: *Temeraria, frequentato in ecclesia et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.*

DE FESTIS.

Libell. memor. pro fest. reform. §. 3.

LXXIII. Propositio enuncians novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturae et finis earundem solennitatum originem duxisse: *Falsa, temeraria, scandalosa, ecclesiae iniuriosa, favens haereticorum in dies festos per ecclesiam celebratos conviciis.*

Ibid. §. 8.

LXXIV. Deliberatio synodi de transferendis in diem dominicum festis per annum institutis, idque pro iure, quod persuasum sibi esse ait episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales, ideoque et praeceptum missae audiendae abrogandi diebus, in quibus ex pristina ecclesiae lege viget etiamnum id praeceptum: tum etiam in eo, quod superaddit de transferendis in Adventum episcopali auctoritate ieiuniis per annum ex ecclesiae praecepto servandis, — quatenus adstruit episcopo fas esse iure proprio transferre dies ab ecclesia praescriptos pro festis ieiuniisve celebrandis, aut inductum missae audiendae praeceptum abrogare: *Propositio falsa, iuris conciliorum generalium et sum-* 456.
morum Pontificum laesiva, scandalosa, schismati fovens.

DE IURAMENTIS.

Libell. memor. pro iuram. reform. §. 4.

LXXV. Doctrina, quae perhibet, beatis temporibus nascentis ecclesiae iuramenta visa esse a documentis divini praeceptoris atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut ipsummet iurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine Christiano indignus; insuper continuatam patrum seriem demonstrare iuramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse; indeque progreditur ad improbanda iuramenta, quae

curia ecclesiastica, iurisprudentiae feudalis, ut ait, normam secuta in investituris et in sacris ipsis episcoporum ordinationibus adoptavit, statuitque adeo implorandam a saeculari potestate legem pro abolendis iuramentis, quae in curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali: *Falsa, ecclesiae iniuriosa, iuris ecclesiastici laesiva, disciplinae per canones inductae et probatae subversiva.*

DE COLLATIONIBUS ECCLESIASTICIS.

De collat. ecclesiast. §. 1.

LXXVI. Insectatio, qua synodus scholasticam exagitat, velut eam, „quae vitam aperuit inveniendis novis, et inter se discordantibus systematibus, quoad veritates maioris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum," — quatenus in scholasticam reiicit privatorum vitia, qui abuti ea poterunt, aut abusi sunt: *Falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno ca-*
457. *tholicae religionis bono scholasticam excoluere, iniuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis.*

Ibid.

LXXVII. Item in eo, quod subdit: „Mutationem formae regiminis ecclesiastici, qua factum est, ut ministri ecclesiae in oblivionem venirent suorum iurium, quae simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones ministerii ecclesiastici et sollicitudinis pastoralis," — quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinae in ecclesia constitutae et probatae obliterari unquam potuerit et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii, pastoralisve sollicitudinis: *Propositio falsa, temeraria, erronea.*

§. 4.

LXXVIII. Praescriptio synodi de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua, posteaquam praemisit, „In quolibet articulo distinguendum id, quod pertinet ad fidem et ad essentiam religionis ab eo, quod est proprium disciplinae" subiungit: „In hac ipsa (disciplina) distinguendum, quod est necessarium aut utile ad retinendos in spiritu fideles, ab eo, quod est inutile aut onerosius, quam libertas filiorum novi foederis patiatur, magis vero ab eo, quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem et materialismum" — quatenus pro generalitate verborum comprehendat et praescripto examini subiiciat etiam disciplinam ab ecclesia constitutam et probatam, quasi ecclesia, quae spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem, quam libertas Christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum: *Falsa, temeraria,*

scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, ecclesiae ac spi- 458.
ritui Dei, quo ipsa regitur, iniuriosa, ad minus erronea.

CONVICIA ADVERSUS ALIQUAS SENTENTIAS IN SCHOLIS CATHOLICIS USQUE ADHUC AGITATAS.

Orat. ad synod. §. 1.

LXXIX. Assertio, quae conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus apostolica sedes nihil adhuc definiendum aut pronunciandum censuit: *Falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogans.*

DE TRIBUS REGULIS FUNDAMENTI LOCO A SYNODO POSITIS PRO REFORM. REGULARIUM.

Libell. memorial. pro reform. regular. §. 9.

LXXX. Regula 1., quae statuit universe et indiscriminatim: „Statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae, quin ex adverso pugnet ipsiusmet vitae monasticae principiis": *Falsa, perniciosa, in sanctissimos ecclesiae Patres et praesules, qui regularis vitae instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, iniuriosa, pio, vetusto, probato ecclesiae mori summorumque Pontificum sanctionibus contraria, quasi monachi, quos morum gravitas, et vitae ac fidei institutio sancta commendat, non rite, nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utilitate ecclesiae clericorum officiis aggregentur.* (Ex S. Siricio epist. decret. ad Himerium Tarracon. c. 13.)

LXXXI. Item in eo, quod subiungit, sanctos Thomam et Bona- 459.
venturam sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor aestus, accuratio maior desideranda fuisset: *Scandalosa, in sanctissimos doctores iniuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.*

LXXXII. Regula 2.: „Multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem," item in eo, quod praemittit §. 4.: „Regularium fundatores, qui post monastica instituta prodierunt, ordines superaddentes ordinibus, reformationes reformationibus, nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare," — intellecta de ordinibus et institutis a sancta sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat: *Falsa, calumniosa in sanctos fundatores eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos summos Pontifices iniuriosa.*

LXXXIII. Regula 3., qua, postquam praemisit: „Parvum corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars eiusdem, parvamque monarchiam figit in statu, semper esse periculosum,“ subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno praesertim capite consociata, velut speciales totidem monarchias civili reipublicae periculosas et noxias: *Falsa, temeraria, regularibus institutis a sancta sede ad religionis profectum approbatis iniuriosa, favens haereticorum in eadem instituta insectationibus et calumniis.*

460. DE SYSTEMATE SEU ORDINATIONUM COMPLEXIONE DUCTA EX ALLATIS REGULIS, ET OCTO SEQUENTIBUS ARTICULIS COMPREHENSA PRO REFORMATIONE REGULARIUM.

§. 10.

LXXXIV. Art. 1.: „De uno duntaxat ordine in ecclesia retinendo, ac de seligenda prae ceteris regula sancti Benedicti, cum ob sui praestantiam, tum ob praelara illius ordinis merita, sic tamen, ut in his, quae forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitae ratio apud Portum regium lucem praeferat ad explorandum, quid addere, quid detrahere conveniat.“

2. „Ne compotes fiant ecclesiasticae hierarchiae, qui se huic ordini adiunxerint, nec ad sacros ordines promoveantur, praeterquam ad summum unus vel duo, initiandi tanquam curati vel capellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus.“

3. „Unum tantum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque extra moenia civitatis in locis abditioribus et remotioribus collocandum.“

4. „Inter occupationes vitae monasticae pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiae impendendo, aut etiam, si cui libuerit, literarum studio. Psalmodia deberet esse moderata, quia nimia eius prolixitas parit praecipitantiam, molestiam, evagationem. Quo plus auctae sunt psalmodiae, orationes, preces, tantundem peraequa proportione omni tempore imminutus fervor est sanctitasque regularium.“

5. „Nulla forte admittenda distinctio monachos inter sive choro sive ministeriis addictos; inaequalitas isthaec gravissimas omni tempore lites excitavit ac discordias, et a communitatibus regularium spiritum caritatis expulit.“

6. „Votum perpetuae stabilitatis nunquam tolerandum. Non illud norant veteres monachi, qui tamen ecclesiae consolatio et Christianismi ornamentum exstiterunt. Vota castitatis, paupertatis et obedientiae non admittenda instar communis et stabilis regu-
461. lae. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab episcopo postulabit, qui tamen nunquam permit-

tet, ut perpetua sint, nec anni fines excedent. Tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus.“

7. „Omnem episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate; ad ipsum pertinebit monachos admittere et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio.“

8. „Regulares ordinum, qui adhuc remanent, licet sacerdotes in hoc monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriae sanctificationi vacare cuperent, quo casu dispensationi locus fieret in generali regula num. 2. statuta, sic tamen, ne vitae institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo, ut non plus quam una aut ad summum duae in diem missae celebrentur, satisque ceteris sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare.“

ITEM PRO REFORMATIONE MONIALIUM. 462.

§. 11.

„Vota perpetua usque ad annum 40. aut 45. non admittenda. Moniales solidis exercitationibus, speciatim labori addicendae; a carnali spiritualitate, qua pleraeque distinentur, avocandae; expendendum, utrum, quod ad ipsas attinet, satius foret monasterium in civitate relinqui“: *Systema, vigentis atque iam antiquitus probatae ac receptae disciplinae subversivum, perniciosum, constitutionibus apostolicis et plurium conciliorum etiam generalium, tum speciatim Tridentini sanctionibus oppositum et iniuriosum, favens haereticorum in monastica vota et regularia instituta stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta conviciis et calumniis.*

DE NATIONALI CONCILIO CONVOCANDO.

Libell. memor. pro convoc. concil. nation. §. 1.

LXXXV. Propositio enuncians, qualemcunque cognitionem ecclesiasticam historiae sufficere, ut fateri quisque debeat convocationem concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in ecclesia respectivarum nationum controversiae spectantes ad religionem, — sic intellecta, ut controversiae ad fidem et mores spectantes, in ecclesia quacunque subortae, per nationale concilium irrefragabili iudicio finiri valeant, quasi inerrantia in fidei et morum quaestionibus nationali concilio competeret: *Schismatica, haeretica.*

Mandamus igitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, ne de dictis propositionibus, et doctrinis sentire, docere, praedicare praesumant contra, quam in hac nostra constitutione declaratur, ita ut quicunque illas vel earum aliquam coniunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit aut de eis etiam disputando publice vel privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ecclesiasticis cen-

suris aliisque contra similia perpetrantes a iure statutis poenis ipso facto absque alia declaratione subiaceat.

Ceterum per hanc expressam praefatarum propositionum et doctrinarum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus, quum praesertim in eo complures deprehensae fuerint propositiones et doctrinae, sive illis, quae supra damnatae sunt, affines, sive quae communis ac probatae cum doctrinae et disciplinae temerarium contemptum, tum maxime infensum in Romanos Pontifices et apostolicam sedem animum prae se ferunt.

Duo vero speciatim notanda censemus, quae de augustissimo sanctissimae Trinitatis mysterio §. 2. Decreti de fide, si non pravo animo, imprudentius certe synodo exciderunt, quae facile rudes
463. praesertim et incautos in fraudem impellere valeant. Primum, dum, posteaquam rite praemisit Deum in suo esse unum, et simplicissimum permanere, continuo subiungens, ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in Christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus; cuius formulae commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur, quam fides catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam.

Alterum, quod de ipsismet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi seu appellari Patrem, Verbum et Spiritum sanctum, quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii tot scripturae locis consecrata, voce ipsa Patris e coelis et a nube delapsa, tum formula baptismi a Christo praescripta, tum et praeclara illa confessione, qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronunciatus; ac non potius retinendum esset quod edoctus ab Augustino angelicus praeceptor[1]) vicissim ipse docuit, „*in nomine Verbi eandem proprietatem importari, quae in nomine Filii,*“ dicente nimirum Augustino[2]): *eo dicitur Verbum, quo Filius.*“

Neque silentio praetereunda insignis ea fraudis plena synodi temeritas, quae pridem improbatam ab apostolica sede conventus Gallicani declarationem an. 1682. ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed, quo maiorem illi auctoritatem conciliaret, eam in decretum *de fide* inscriptum insidiose includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et quae sparsim per hoc ipsum decretum tradita sunt, horum articulorum publica et solenni professione obsignare. Quo sane non solum gravior longe se nobis offert de synodo, quam praedecessoribus nostris fuerit de comitiis illis ex-
464. postulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanae ecclesiae non levis iniuria irrogatur, quam dignam synodus existimaverit, cuius auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum decretum.

1) S. Th. 1. p. q. 34. art. 2. ad 3. — 2) Aug. de Trinit. l. 7. c. 2.

Quamobrem quae acta conventus Gallicani, mox ut prodierunt, praedecessor noster ven. Innocentius XI. per literas in forma brevis die 11. Aprilis an. 1682., post autem expressius Alexander VIII. constit. *Inter multiplices* die 4. Aug. an. 1699. pro apostolici sui muneris ratione improbarunt, rescinderunt, nulla et irrita declararunt: multo fortius exigit a nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in synodo tot vitiis affectam adoptionem, velut temerariam, scandalosam, ac praesertim post edita praedecessorum nostrorum decreta huic apostolicae sedi summopere iniuriosam reprobare ac damnare, prout eam praesenti hac nostra constitutione reprobamus et damnamus, ac pro reprobata et damnata haberi volumus. Ad id genus fraudis pertinet, quod synodus in hoc ipso decreto de fide quamplures articulos complexa, quos Lovaniensis facultatis theologi ad Innocentii XI. iudicium detulerunt, tum et alios duodecim a card. de Noailles Benedicto XIII. oblatos, non dubitaverit ex reprobato secundo Ultraiectensi concilio vanum vetusque commentum exsuscitare, temereque his verbis iactare in vulgus, nempe universae Europae notissimum esse, eos articulos Romae severissimo examini subiectos fuisse, et non solum a qualicunque censura immunes exiisse, sed etiam a laudatis Romanis Pontificibus fuisse commendatos; cuius tamen assertae commendationis non modo nullum exstat authenticum documentum, quin potius eidem refragantur acta examinis, quae in nostrae supremae inquisitionis tabulis asservantur, e quibus id tantum apparet, nullum super iis prolatum fuisse iudicium.

Hisce propterea de causis librum hunc ipsum, cui titulus: „*Atti e decreti del concilio diocesano di Pistoia dell'a.* 1786.“ *In Pistoia, per Atto Bracali stampatore vescovile. Con approvazione,*“ sive praemisso sive quovis alio titulo inscriptum, ubicunque, et quocunque idiomate, quavis editione aut versione hactenus im- 465.
pressum aut imprimendum, auctoritate apostolica tenore praesentium prohibemus et damnamus, quemadmodum etiam alios omnes libros in eius sive eius doctrinae defensionem, tam scripto quam typis forsan iam editos, seu, quod Deus avertat, edendos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem et usum omnibus et singulis Christi fidelibus sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrendae prohibemus pariter et interdicimus.

Praecipimus insuper venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis aliisque locorum ordinariis, nec non haereticae pravitatis inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscunque per censuras et poenas praefatas, aliaque iuris et facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, omnino coerceant et compellant.

Volumus autem, ut earundem praesentium transsumptis, etiam

impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Gratiae exspectativae, et aliae ejusdem generis nemini concedantur, 159.

H.

Habitus clericorum sit honestus ac decens 85, et 116. Sit illorum ordini et dignitati congruens, 85. Nullus fori gaudeat privilegio, nisi habitum clericalem deferat, 128.
Habitum regularem suscipere volens puella major duodecim annis sit, 171.

Quicunque coegerint mulierem ad suscipiendum habitum, excommunicantur, ibid. Item qui ad id sine justa causa eam impedierint, ib. Habitum regularem qui vult dimittere non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, 172.

Haeretici Vide Protestantes.

Homicida voluntarius omni ordine ac beneficio et officio ecclesiastico perpetuo careat, 86. Casualis vero quomodo possit dispensari, ibid.

Hospitalia visitandi jus habeant episcopi, 119. Ordinarii curent, ut hospitalia a suis administratoribus fideliter et diligenter gubernentur, 50.
Hospitalium administratores hospitalitatem quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant juxta illorum institutionem, 180. Et si id non possit, provideat episcopus, et quomodo, ibid. Hospitalia actu hospitalitatem servantia et illorum personae sunt exempta, 85.

Hospitalitas exercenda, 180.

I.

Imagines quare et quomodo venerandae, 162. sq. Ex illis magnus percipitur fructus, 163. De imaginum legitimo usu fideles diligenter instruendi, 162. Circa illas abusus abolentur, et omnis superstitio tollatur, omnis turpis quaestus eliminetur, omnis lascivia vitetur, 163. Procaci venustate non pingantur imagines nec ornentur ibid.
Imago insolita nulla ponatur in ullo loco vel ecclesia, nisi approbante episcopo, ibid.

Indulgentiae coelestes ecclesiae thesauri non ad quaestum sed ad pietatem exercendae, 110. Per ordinarios publicandae, ibid. Eas conferendi potestas a Christo ecclesiae concessa est, 189. In his concedendis moderatio adhibenda, ibidem. Pravi quaestus pro his consequendis omnino abolendi, 190. Alii abusus, qui in his irrepserunt, emendandi, ibid.

Interdicta ordinariorum a regularibus servanda, 169. Interdicere potest episcopus suos clericos minus capaces et idoneos, 84. Ab interdicto se abstineant judices ecclesiastici in causis judicialibus, quotiescunque exsecutio realis vel personalis ab ipsis fieri poterit, 176.

In irregularitatibus quando liceat episcopo dispensare, 149.

J.

Jejunia ad mortificandam carnem, 190.

Jesus Christus, Vide Christus.

Judices ecclesiastici terminandis causis quanta fieri poterit brevitate studeant, ac litigatorum artibus occurrant, 183 Cognoscant de causis matrimonialibus, 138. Se abstineant a censuris ecclesiasticis, quantum fieri poterit, 176. Judex impediens, ne acta appellanti tradantur, puniatur, 160.
Judices delegati in singulis conciliis provincialibus aut dioecesanis eligantur, 183. Et si aliquem mori contigerit, substituat ordinarius loci cum consilio capituli alium in ejus locum usque ad futuram synodum, ibid.

Judicio divino, non vero humano vita hominum examinanda et judicanda, 36. Judicium ante oculos unusquisque habere debet, ibid.

Jus patronatus quomodo probandum, 181. In alios non transferatur, 182. In totum revocetur, si non legitime sit constitutum, ib. Jus patronatus nemo impetret, aut obtineat, nisi in casu fundationis aut dotationis, 87. seq.

Justi debent sperare aeternam retributionem, 33, 35, et 39. Justum in omni bono opere peccare negatur 33, et 39. Justi non desinunt esse qui cadunt in peccata venialia, 33. Cetera quaere inferius.

Justificatio quid sit, 30. Justificationis causae, ib. sq. Justificationis impii descriptio insinuatur, 29. Ipsius incrementum, 32. Absque divina per Jesum Christum gratia homo non potest justificari coram Deo, 37. Sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio homo non potest facere quod oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, 37. Justificationis gratia non est tantum favor Dei, 38.
Non justificamur sola divinae misericordiae fiducia ibid. Nec fide sola, 37, et 39. Nec sola justitiae Christi imputatione, 38. Liberum arbitrium a Deo motum et excitatum hominem disponit ac praeparat ad obtinendum justificationis gratiam, assentiendo Deo excitanti atque vocanti, 37.
Sine Christi justitia, per quam nobis meruit justificari, homo non potest esse justus, 37. Neque per eam est formaliter justus, ibid. Per justitiam Dei nobis inhaerentem justificamur, 36.
Fides justificationis fundamentum et radix, 31. Non tamen ex fide tantum, sed ex operibus homo justificatur, 32. Exclusa caritate homines non justificantur, 38. Justificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam contingere nemo dicat, ib. Ad justificationem vana est certitudo justificationis, 32. Ideo non est necesse, ut quis se justificatum esse credat, 38. Nec justificatur ex eo, quod se justificari certo credat, ibid.
Bona opera sunt causa justificationis augendae, 39.

Justificatus sine Dei auxilio non potest in accepta justitia perseverare, 39. Sed potest cum illo, ibid. Semel justificatos Deus non deserit, nisi ab eis prius deseratur, 33. Justificatus potest iterum peccare, et gratiam amittere, 39. Et contra non valet in tota vita omnia vitare peccata venialia, nisi ex speciali Dei privilegio, ibid. Justificationis gratia amittitur peccato mortali, quamvis fides non amittatur, 35 et 39. Qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari possunt, 34.
Christus in justificatos virtutem influit, quae bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, 36. Justificatus non peccat dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, 40. Justificati illis operibus, quae in Deo sunt, censentur divinae legi satisfecisse et vitam aeternam promeruisse, 36. Justificati bona opera non ita sunt dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, 40. Et per ipsa vere meretur, ibid. Opera omnia, quae ante justificationem fiunt, non sunt peccata, nec odium Dei merentur, 37. Canones de justificatione ib.

Justitia Dei per Christi meritum nobis infunditur, 36. Est justificationis unica causa formalis 31. Dispositio ad justitiam, 30. Hanc justificatio ipsa consequitur, 30. Sine Christi justitia nemo justus est, 37. Et per eam homo non est formaliter justus, ibid. Sola Christi justitiae imputatione homines non justificantur, 38. Ad perseverandum in justitia necessarium est Dei auxilium, 39. Justitia accepta conservatur atque augetur per bona opera, ibid. Justitia amissa fide sola non potest recuperari, ibid.

L.

Lectio sacrae scripturae, expositio et interpretatio instituendae, et per idoneos fiant, 24, et seq. In monasteriis monachorum ejusmodi lectio habeatur, 25. Hac in re negligentes ab episcopis compellendi, ib. In conventibus aliorum regularium similis lectio habeatur dignioribus magistris assignanda, ibid. In gymnasiis etiam publicis instituatur, vel restituatur, ibid.

Lectores ab episcopo loci eligendi. 24. Vel ab ipso examinandi et approbandi, 25. Hoc non intelligitur de lectoribus in claustris monachorum, ibid. Docentes sacram scripturam, item et scholares privilegiis in absentia a jure communi concessis plene gaudeant, ibid.

Liberum arbitrium Adae peccato non fuit amissum et exstinctum, 37. Non est res de solo titulo, vel titulus sine re, ibid. Neque figmentum a Satana invectum in ecclesiam, ibid. Non est inanime, sed cooperatur et agit, ibid. Dat homini potestatem malum operari sicut et bonum, ibid.

Libertatis nostrae admonemur in S. literis, 30. Per liberum arbitrium sine gratia homo non potest juste vivere et vitam aeternam promereri, 37.

Librorum suspectorum et perniciosorum judicium summo Pontifici reservatum, 190.

Licentiati ad ecclesias cathedrales assumendi 117. Episcoporum vicarii constituendi, 155. Examinatores sint licentiati, 157. Item archidiaconi, 151. Et poenitentiarii, 150. Dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum licentiatis conferatur, 152. Et scholasteriae, 135.

Literis absque dimissoriis proprii praelati alterius subditum non ordinet episcopus, 83 sq. Illas nullus alius concedat quantumvis exemptus, 129. Literae dimissoriae a capitulis non dentur sede vacante, infra annum a die vacationis, 49. Literae dimissoriae aut testimoniales gratis concedantur ab episcopis,

105. Notarii vero pro singulis literis dimissoriis decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum sit salarium constitutum pro officio exercendo, ibid.
Literae testimoniales ordinandorum inquisitionem factam continentes ad episcopum transmittantur, 128. Facultates de promovendo a quocunque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam in literis exprimendam, 49.
Literarum conservatoriarum tolluntur abusus, 85.
Locationes variae bonorum ecclesiasticorum prohibentur, 183.
Lusus. A Lusibus clerici abstineant, 117. et 153.

M.

Magistri grammatices eligantur, qui clericos aliosque scholares paupere gratis doceant, 25.
Mandata Dei et ecclesiae, vide Praecepta.
Mandata de providendo nemini concedantur, 159.
Maria peccati originalis labe immunis, 24. Speciali privilegio omnia vitavit peccata, 39.
Matrimonium sanctum est et sancte tractandum, 143. Matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis praestat, 137. Est vere et proprie unum ex septem sacramentis, ibid. A Christo Domino institutum, ibid. Gratiam confert, ibid.
Status coniugalis non est anteponendus statui virginitatis et caelibatus, 138. Sunt beatiores matrimonio, ibid.
Matrimonium est nexus perpetuus et indissolubilis, 136. Duos tantummodo coniungit, ibid. Non licet Christianis plures simul habere uxores, 137. Canones de sacramento matrimonii, ibid.
Matrimonii caeremoniae non damnandae, 138. Si quae provinciae aliquot caeremoniis peculiaribus utantur, eas retineant, 140. Nuptiarum solennitates certis anni temporibus prohibitae, 138, et 143. Ea quae decet modestia et honestate fiant, 143.
Matrimonia clandestina damnantur, 138 seq. Rata tamen et vera sunt matrimonia, quamdiu ecclesia ea irrita non fecit, ibid. Antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis publice denuncietur, 139. Vel una tantum denunciatio fiat, si probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, ibid. A denunciationibus praedictis dispensare potest ordinarius, ibid.
Conjuges ante benedictionem sacramentalem in eadem domo non cohabitent, 139. Benedictio ab alio sacerdote, quam a proprio paroche fieri non potest, nisi cum licentia parochi vel ordinarii, ibid. Praesentibus duobus vel tribus testibus celebretur matrimonium, ibid. Habeat parochus librum, in quo coniugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, 140. Interroget parochus virum et mulierem, et earum habeat mutuum consensum, 139. Quibus verbis utatur parochus ad celebrationem, ibid. Triduo ante matrimonii consummationem coniuges peccata confiteantur, et ad S. eucharistiae sacramentum accedant, 140.
Qui vagantur et incertas habent sedes non facile ad matrimonium recipiantur, 142.
Castitatis votum impedit, ne matrimonium contrahatur, 138.
Nemo quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscunque alios cogat, quominus libere matrimonia contrahant, sub anathematis poena, 143. Ob multas causas separatio inter coniuges fieri potest quoad thorum, seu quoad cohabitationem, 138. Matrimonium contrahere non possunt clerici in sacris constituti, ibid.
Matrimonium quando non potest dissolvi, 137. Quando dirimi potest, ibid. Matrimonium impediunt vel dirimunt consanguinitatis et affinitatis gradus, ibid. Potest ecclesia in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant, ibid. In iis constituendis non erravit, ibid. Cognatio spiritualis inter quos contrahatur, 140. Impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, ad primum et secundum gradum restringitur, 141. In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio vel raro, idque ex causa cognita et gratis concedatur, 141 sq. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam, 142. Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit, separetur, et spe dispensationis consequendae careat, 141. Multo magis si illud consummare ausus fuerit, ibid. Si vero solennitatibus adhibitis propter ignorantiam factum fuerit, tunc facilius et gratis dispensari poterit, ibid. Inter raptorem et raptam nullum consistat matrimonium, nisi rapta a raptore separata illum in virum habere consenserit, 142. Publicae honestatis impedimentum certis limitibus coarctatur, 141.
Quae de matrimonio sancita fuerunt populo publicentur ac explicentur, 140. Matrimoniales causae ad iudices ecclesiasticos spectant, 138.
Merito Christi peccatum originale tollitur, 23. Merita hominum vult Deus esse quae sunt ipsius dona, 36. Ipsorum meritis merces a Deo promissa, 35.
Metropolitani per se ipsos visitent propriam dioecesim, 146. Quolibet saltem triennio non praetermittant synodum in provincia sua cogere, 145.
Collegia erigant, 135. Monasteriorum congregationes erigi curent, 167. Provideant, ut sacrae scripturae lectio habeatur, 25.
Suffraganeos absentes Romano Pontifici denunciare tenentur, 41. A metropolitano sunt approbandae legitimae episcoporum absentiae 125. Metropolitanus ad residentiam personalem obligatur, 55, et seq. 125. Ejus absentiam probare debebit suffraganeus episcopus antiquior, 124. Metropolitanum absentem suffraganeus episcopus antiquior Romano Pontifici denunciare tenetur, 41. Vide etiam Praelati.
Minister, etsi exsistat in peccato mortali, conficit aut confert sacramentum, 44. In ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, requiritur intentio saltem faciendi quod facit ecclesia, ibid.
Minores Ordines, Vide Ordines.
Miracula nova non sunt admittenda, nisi approbante episcopo, 163.
Misericordia de divina nemo dubitare debet, 32. Misericordia divina peccata remittuntur, ibid.
Missa est omnium sanctissimum sacrificium, 112. Missae sacrificium a Domino institutum, 122. Eiusdem institutio, 111. Ipsius caeremoniae quare institutae, 113. Non sunt damnandae, 114. Per missae sacrificium non derogatur Christi sacrificio in cruce peracto, ibid.

Missa magnam continet eruditionem, 113. Tamen vulgari lingua passim non celebranda, ibid. et 115. In missa offertur Deo verum et proprium sacrificium, 114. Sacrificium istud vere propitiatorium est, 112, et 114. In divino missae sacrificio idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit, 112. Missae canon ab ecclesia institutus ab omni errore purus, 112. et 114. Quibus constet, 112. Aqua in calice vino miscenda, 113, et 115. Et quare, 113. Per hanc mixtionem populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur, ibid.
Missa offertur pro vivis et defunctis, 114. Missae in honorem sanctorum possunt celebrari, 112. Illis vero non offerendae, sed Deo soli, 112. Missae sacrificium nulla offerentium indignitate, aut malitia potest inquinari, 111. Canones de sacrificio missae, 114.
Missae sacrificii pretiosus ac coelestis fructus quis sit, et a quo potissimum proveniat, populus doceatur, 116. Mysteria eius populo explicanda, 114. Missis qui intersunt, decenter composito corporis habitu adsint, 116. Pro missis celebrandis prohibetur quicquid a simoniaca labe vel a turpi quaestu non abest, 115. In missarum celebratione ritus et caeremoniae non adhibeantur, ac preces, praeter eas, quae ab ecclesia probatae ac receptae sunt, 116. Candelarum certus numerus, qui magis a superstitioso cultu, quam a vera religione inventus est, omnino removeatur, ibid. Missa non celebretur aliis, quam debitis horis, ibid. Non celebretur in domibus privatis, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum cultum dedicata oratoria, 115 seq. Missas celebrare non liceat sacerdoti vago et ignoto, 115. Si sacerdos, necessitate urgente, absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur, 62. Missarum celebrandarum numerus ex variis defunctorum relictis impositus, si nequeat satisfieri, episcopi in synodo dioecesana, itemque abbates et generales ordinum in suis capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possint circa hoc statuere quicquid viderint magis expedire, 177.
Cetera quaere in verbis Consecratio, et Eucharistia.
Missalis reformatio quibusdam concilii Patribus commissa, 190.

Monachi ad processiones publicas vocati accedere compellantur, exceptis iis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt, 169. Quae de monachis decreta fuerunt a concilio exsecutioni demandentur, 174. Et ut fiat, provideatur per aliquorum eiusdem ordinis deputationem, ibid.
Vide inferius Monasteria.
Monasteriis praeficiantur personae regulares, et spectatae virtutis atque sanctitatis 173. Et in provisionibus qualitas singulorum nominatim exprimatur, ibid.
In monachorum monasteriis, ubi commode fieri queat, lectio sacrae scripturae habeatur, 25.
Quibus monasteriis liceat possidere bona immobilia, 165. Monasterii bonorum administratio ad solos officiales pertineat, ibid.
Monasteria nulla erigantur sine episcopi licentia prius obtenta, 165. In illis is tantum numerus constituatur, qui vel ex reditibus propriis, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari, ibid.
Monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, ab episcopis annis singulis visitentur, 109. Exceptis iis, quae ordinum suorum capitibus subsunt, 172. Monasteria omnia, quae generalibus capitulis aut episcopis non subsunt, sed immediata sedis apostolicae protectione ac directione regi consueverunt, in congregationes erigant, 167. Quae congregationes visitatores instituent, 168.
Monasteria monialium, quaere inferius in verbo Moniales.
Monialis professio sit libera, 171. Qui eam coegerint excommunicantur, ibid. Item qui eam sine iusta causa impedierint, ibid. Habitum regularem suscipere volens puella maior duodecim annis sit, ibid. Per annum post susceptum habitum in probatione stet, antequam ad professionem admittatur, 170. Ante professionem exploretur an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, an habeat conditiones requisitas, an monasterium sit idoneum, et libere ei profiteri liceat, 171. Professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, 170. Moniales saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, et S. eucharistiam suscipiant, 168. Praeter ordinarium confessorem alius extraordinarius bis aut ter in anno illis offeratur, qui omnium confessiones audire debeat, ibid. Apud illas S. Christi corpus non conservetur alio in loco, quam in publica ecclesia, ibid. Superiores vel praefectae quomodo eligendae, 166 sq. Quales esse debeant, ibid. Qui electioni praeest claustra monialium non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat vel accipiat, 167. Duobus monasteriis nulla praeficiatur, ibid. Monialibus non liceat bona immobilia vel mobilia tanquam propria possidere, sed statim superiori tradantur, conventuique incorporentur, 164.
Monasteria monialium sanctae sedi apostolicae immediate subiecta ab episcopis gubernentur, 168. Quae vero a deputatis in capitulis generalibus, vel ab aliis regularibus reguntur, sub eorum cura et custodia relinquantur, ibid. Monasteria monialium extra urbes constituta intra urbes reducantur, 166.
Monialium clausura diligenter restituenda et conservanda, ibid. Inobedientes compellantur invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, ibid. Nemini earum liceat post professionem exire e monasterio, nisi ex legitima causa ab episcopo approbanda, ibid. Ingredi septa monasterii nemini liceat sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, ibid. Haec licentia non detur, nisi in casibus necessariis, ibid. Decreta de monialibus ab ipsis observentur, 168.

N.

Natura et lex imbecillae ad liberandum filios Adae de potestate diaboli, 28.
Notarii pro singulis literis dimissoriis decimam tantum unius aurei partem accipiant, dummodo eis nullum sit salarium constitutum pro officio exercendo, 105. Notarius actorum copiam exhibeat ad minus intra mensem, 160. Et si per fraudem secus fecerit, puniatur, ibid. Notariis minus idoneis vel delinquentibus episcopus potest officii eius in negotiis, litibus et causis ecclesiasticis ac spiritualibus exercendi usum perpetuo aut ad tempus prohibere, 120. Neque illorum appellatio interdictionem ordinarii suspendat, ibid.

Novitiatus finito tempore superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut eos e monasterio eiiciant, 170. Novitius ad professionem non admittatur, nisi per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ibid. Novitiis abeuntibus ante professionem omnia restituantur quae sua erant, 171.
Nuptiae, vide Matrimonium.

O.

Opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, non sunt peccata, nec odium Dei merentur, 37. Ex operibus iustificatur homo, 32. Bona opera sunt causa iustificationis augendae, 39.
Bona opera hominis iustificati non ita sunt dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, 40. Et per ipsa vere meretur, ibid. Falsum est iustum in quolibet bono peccare, et ideo poenas aeternas mereri, 33, et 39. Non peccat qui intuitu aeternae mercedis bene operatur, 40. Pro bonis operibus iusti debent sperare aeternam retributionem, 33, 35, et 39. Operibus bonis censentur iustificati satisfacere legi divinae et vitam aeternam mereri, ibid. Christus in iustificatos virtutem influit, quae bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, 36. Sine hac Christi virtute nullo peccato grata Deo et meritoria esse possent bona opera, ibid.
Oratorum locus assignatus in concilio nullum cuiquam affert praeiudicium, 191.
Ordinarius, vide Episcopus.
Ordo est vere et proprie unum ex septem sanctae ecclesiae sacramentis, 123, 124. In sacramento ordinis character imprimitur in anima, qui nec deleri nec auferri potest, 44, 124. Inde iterari non potest, 44. Ordinatione sacra gratia confertur, ib. et 124. Ordinationis caeremoniae non contemnendae, 124. De sacramento ordinis canones, ibid.
Ordinationes publice celebrentur, 129. Ac in cathedrali vel digniori, quantum fieri poterit, ecclesia, ib. Ad eas canonici vocentur, iisque adsint, ibid. Ordinatio pertinet ad episcopos 124 et 125. Ad eam non requiritur consensus cuiusvis saecularis, ut sine eo sit irrita, ib. Ordines per se ipsos episcopi conferant, 127. Ordinatio pertinet ad episcopos, intra quorum fines ordinandi exsistunt, 129. Ordinetur unusquisque a proprio episcopo, ibid. Non cuilibet permittatur ab alio promoveri, nisi eius probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendentur, ibid. Poenae in contravenientes, ibid. Episcopi titulares quoslibet ordines non conferant absque proprii praelati consensu aut literis dimissoriis, 83 seq.
Ordines diversi, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tenditur, 122 et 124. Quinam fuerint ab ipso ecclesiae initio, 122.
Ordines gratis conferantur, 105. Ad ordines promovendi examinentur, 49, et 128. Ante ordinationem inquirendum est de ordinandorum natalibus, aetate, moribus, vita, etc., ibid. Nullus ordinetur, qui iudicio sui episcopi non sit utilis suis ecclesiis, 131. Ad ordines non promovendi qui non habent unde commode vivere possint, 106. Ordinare non possit episcopus familiarem suum non subditum, nisi per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium statim re ipsa illi conferat, 129. Homicida voluntarius nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit, 86. Abbatibus non liceat cuiquam, qui regularis sibi subditus non sit, tonsuram vel minores ordines conferre, 129. Nec literas dimissorias concedant, ibid. Ordinati per licentiam capituli, sede vacante, sint ipso iure suspensi, 49. Prima tonsura non initientur qui sacramentum confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, 127. Quique legere et scribere nesciant, ibid.
Minorum ordinum functiones qua ratione revocandae, 132. Ad minores ordines promovendi bonum a parocho et a magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant, 128. Per temporum interstitia minores ordines conferantur iis, qui saltem latinam linguam intelligant, nisi aliud episcopo expedire magis videatur, 130. Quid interim agendum, ibidem. Quum hinc ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiae spes maioribus ordinibus dignum ostendat, ibid. Ab iis arcentur bigami, 132.
Qui ad singulos maiores ordines erunt assumendi episcopum adeant

per mensem ante ordinationem, 128. Nullus nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveatur, nisi aliud episcopo videatur, 131. Ad sacros ordines digni tantum assumendi, 130. Ordines sacri duo non eodem die, etiam regularibus, conferantur, 131. Subdiaconi et diaconi ordinentur et habentes bonum testimonium, et in minoribus ordinibus iam probati, ac literis iis, quae ad ordinem exercendum pertinent, instructi, 130. Eos diebus dominicis et solennibus, quum altari ministraverint, sacram communionem percipere maxime decet, 131. Ad subdiaconatum nullus promoveatur ante vigesimum secundum aetatis suae annum, 130. Ad subdiaconatus ordinem promoti, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum non ascendant, nisi aliud episcopo videatur, 131. Ad diaconatum nullus promoveatur ante vigesimum tertium aetatis suae annum, 130. Ad presbyteratum quinam assumendi, 131. Bonum habeant testimonium, ibid. Diligenter examinentur, ibid. Ad presbyteratum nullus promoveatur ante vigesimum quintum aetatis suae annum, 130.
Ordines requisitos infra annum suscipiant qui beneficia obtinent in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis, 118. Eosque per se ipsos diebus statutis exerceant, 119.
Degradatio ab ordinibus ecclesiasticis quomodo facienda, 66.

P.

Papa, vide Pontifex Maximus.
Parochiae suae interesse unusquisque tenetur ad audiendum verbum Dei, 148. Parochias frequentandas esse saltem diebus dominicis et maioribus festis populus moneatur, 116. Episcopi curent, ut pueri in singulis parochiis edoceantur, 148. Parochi praedicare debent, 26, 125, 148. Populo explicent vim et usum sacramentorum, 149. Sacra eloquia salutisque monita singulis diebus festis vel solennibus explanent, ibid. Fideles in lege Domini erudire studeant, ibid. Fidelibus commendent ecclesiae statuta, ieiunia et festorum celebrationem, 190. Eos admoneant obedire praepositis suis, ibid. Frequenter inter missarum celebrationem aliquid exponant ex iis, quae in missa leguntur, 113 sq. Oves suas agnoscant, et pro his sacrificium offerant, 125. Illis sacramenta administrent, et eas bono pascant exemplo, ibid. Pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerant, ibid.
Parochi officium quoad matrimonium, vide Matrimonium. Quoad baptismum, vide Baptismus.
Parochi dioecesanae synodo intersint, 146. Parochialium ecclesiarum rectores cogantur ab episcopo sibi tot sacerdotes adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum, 107. Parochialium ecclesiarum rectoribus illiteratis et imperitis coadiutores aut vicarios pro tempore deputare possint episcopi, 108. Eosdem vero rectores turpiter ac scandalose viventes coerceant episcopi ac castigent, ibid. Et, si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos episcopi beneficiis privandi facultatem habeant, ibid. Parochiali ecclesia vacante, episcopus idoneum in ea vicarium constituat, donec ei de rectore provideatur, 157. Ad parochiales ecclesias nominati vel praesentati, si non idonei reperti fuerint, non admittantur, 158, 181. Qua forma, et a quibus examinandi, 157. sq. et 182. Examinatores quales esse debeant, et quid praestare teneantur, 157.
Parochiales ecclesiae plures ab uno non possint retineri, 156. Parochis, qui tenuioribus praesunt ecclesiis, quisque de bonis sibi a Deo collatis subveniat, 184. Parochialibus ecclesiis fructus nimis exigui quomodo providebit episcopus, 153. Ecclesiae parochiales, quarum reditus summam ducatorum centum non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur, 154.
Parochialibus ecclesiis, quae certos fines non habent, quomodo providendum ab episcopo, 154. Parochiae novae, ubi necesse fuerit, erigendae, 107, et 153. sq. Parochiales ecclesias refici et instaurari procurent episcopi, 108. Ecclesiarum parochialium unionis perpetuas facere possint episcopi propter earum paupertatem, et in ceteris casibus a iure permissis, 107.

Parochiali ecclesiae quarta, quae funeralium dicitur, persolvenda, 184.
Parvuli sunt baptizandi, 23. Parvuli per baptismi lavacrum regenerati adeptam filiorum Dei gratiam amittere non possunt, dum usu rationis carent, 104 seq. Non sunt iterum baptizandi, quum ad annos discretionis pervenerint, 45. Nec interrogandi, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine polliciti sunt, ibid. Nulla obligantur necessitate ad sacramentalem eucharistiae communionem, 104 seq.
Pascha novum instituit Christus, 111. Paschatis tempore tenentur fideles omnes singulis annis ad communicandum, quum ad annos discretionis pervenerint, 64.
Pastoris officium, 64, et 125. Pastores sint episcopi, non percussores, 64.
Pastores ex iis, quae in missa leguntur, populo frequenter aliquid exponant, et sacrificii huius mysterium aliquod declarent diebus praesertim dominicis et festis, 113 seq.
Cetera quaere in verbo Parochus.
Patres concilii hortantur ad orationes et ieiunia, 190. Patres delecti ad dispositionem de censuris et libris, 97. Patribus concilii quibusdam commissa missalis reformatio, 190. Patrum acclamationes in fine concilii, 192.
Patroni in iis, quae ad eos non pertinent, nullatenus se ingerere praesumant, 147, 182. A patronis praesentatos liceat episcopo repellere, si non fuerint idonei, 181.
Peccata mortalia etiam cogitationis homines irae filios et Dei inimicos reddunt, 73. Peccato mortali justificationis gratia amittitur, quamvis fides non amittatur 35, et 39. Peccatum mortale non impedit, quominus minister sacramentum conficiat aut conferat, 44. Peccare iustum in quolibet bono opere, falsum est, 33, et 39. Non peccat qui intuitu divinae mercedis bene operatur, 40.
Peccata omnia venialia nemo vitare potest in tota vita, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet ecclesia, 39. Justi, licet in peccata venialia cadant, non propterea desinunt esse iusti, 33. Non peccant qui ante justificationem disponere se nituntur ad gratiam, 37. Gehennae metus, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus vel a peccato abstinemus, peccatum non est, ibid.
Peccatorum odium et detestatio sunt dispositio ad iustitiam, 30. Contritio necessaria est ad impetrandam veniam peccatorum, 71. Sine poenitentia peccata non remittuntur, 75. Peccata non remittuntur, nisi gratis divina misericordia propter Christum, 32. Baptismi sola recordatione non dimittuntur peccata, neque minuuntur, 45. Peccata remittendi et retinendi potestas Apostolis et eorum sucessoribus concessa, 70. Non ita remittuntur peccata, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo vel in futuro in purgatorio, 39. Ad remissionem peccatorum assequendam, non est homini necessarium, ut certo credat peccata sibi esse remissa, 38. Nemini peccatorum remissionis fiduciam et certitudinem iactanti, et in ea sola quiescenti peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est, 32. Vana haec est et ab omni pietate remota fiducia, ibid. Nemo ita de se praesumere debet, ut credat, se amplius peccare non posse, 34. Quoad confessionem peccatorum, vide confessio.
Peccatorum sola remissione, exclusa gratia et caritate, homines non justificantur, 38. Per baptismum plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequimur, 71. Et per eum totum id tollitur, quod veram et propriam peccati rationem habet, 23.
Peccato originali liberum arbitrium non fuit amissum vel exstinctum, 37. Peccatum originale per meritum Christi tollitur, 23. Peccati originalis labe intacta Maria, 24.
Perseverantiae donum usque in finem se certo habiturum nemo dicat, 34. De perseverantiae munere nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, ibid. Justificatus sine Dei auxilio non potest in accepta justitia perseverare, sed potest cum illo, 39.
Poenitentiae sacramentum ad salutem necessarium, 70. Et ad peccatorum remissionem, 69. Eiusdem sacramenti institutio, 69, et 79. Illud instituit Christus pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, 34 seq. Per poenitentiae sacramentum peccatores rursus possunt justificari, 34 sq. Sine hoc qui lapsus est amissam justitiam non potest recuperare, 39. Poenitentia labo-

riosus quidam baptismus nuncupatur, 71. Poenitentia Christiani hominis post lapsum multum differt a baptismali, 34, 70, et 79. Quid in ea contineatur, 34 seq.
Poenitentiae sacramenti forma, 71. Eiusdem materia, seu partes, contritio, confessio et satisfactio, ibid. et 80. Ipsius effectus reconciliatio cum Deo, 71. Quis sit minister sacramenti poenitentiae, 74, et 81. Sacerdotes, etiamsi mortali peccato teneantur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministri, functionem remittendi peccata exercent, 74, et 81. Prave sentiunt qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt, 74.
Poenitentiae sacramento non tota semper dimittitur poena temporalis, 35. Poenitenti culpa non ita remittitur, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae, 39. Poenitentiae sacramentum non est forum irae vel poenarum, 77. Canones de poenitentiae sacramento, 79, et seq.
Cetera quaere in verbis Contritio, Confessio et Satisfactio.
Poenitentiam publicam oportet iniungi publice peccantibus, 149, seq. Episcopus tamen hanc in aliam secretam commutare poterit, 149.
Poenitentiarius in cathedralibus instituendus, ibid. Qualis esse debeat, 150. Dum confessiones in ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur, ibid.
Pontifex maximus Dei in terris vicarius, 40. Ipsius suprema auctoritas, 41. Salva semper in omnibus, 46, et 189. Suprema ipsi potestas in ecclesia universa tradita, 75. Ei veram obedientiam omnes spondeant, 175.
Pontifices maximi causas aliquas criminum graviores suo poterunt peculiari iudicio reservare, 75.
Pontifex maximus cognoscat de causis episcoporum gravioribus, 67, 148. Praelati absentes Romano Pontifici denunciandi, 41. Ab ipso puniendi contumaces in absentia, ib. Et episcopi concubinarii, 185 seq.
Pontificum constitutionibus debitam praestent principes observantiam, 188. Inconsulto summo Pontifice nihil novum aut in ecclesia inusitatum decernatur, 164. Coadiutor praelato non detur, nisi causa primo a summo Pontifice cognita, 179. Librorum suspectorum vel perniciosorum iudicium summo Pontifici reservatum, 190. Cathedrales ecclesias reditus tenuioris vel aliis uniet, vel novis proventibus augebit, 153. Prout ipsi videbitur, resignantium necessitatibus providebit, 156. Universitates immediate sibi subiectas salubriter visitari et reformari curabit, 176. Curabit, ut concilii dubia explicentur, 191.
Praecedentiarum controversias episcopus componat, 169. Praecedentiis in concilio nulli generatum praeiudicium, 17, et 191.
Praecepta Dei ab omnibus observari debent, 32, et 38. Ad observandum non sunt impossibilia, 38. Qui affirmat ea nihil ad christianos pertinere, anathematizatur, 33, et 38. Baptizati tenentur observare praecepta ecclesiae, 38, 45.
Praedestinatorum in numero se esse nemo certo statuere debet, 34. Justificatus non tenetur ad credendum se certo esse in numero praedestinatorum, 38. Nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos sibi Deus elegerit, 34. Nonnisi praedestinatis ad vitam contingere gratiam iustificationis nemo dicat, ceterosque ad malum esse praedestinatos, 38.
Praedicatio est episcoporum munus praecipuum, 147. Praedicare tenentur episcopi, archiepiscopi, primates et alii praelati, si legitime impediti non fuerint, 26. Si vero impediantur, viros idoneos assumere debent ad officium praedicationis exsequendum, ibid. Praedicare debent parochi, ibid., 114, 125, 148. Quicunque alii curam animarum habentes diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis, 26. Et ut id praestetur, curent episcopi, ib. Quibus diebus praedicandum, 148. In praedicationibus quid vitandum, ib. Praedicationem interdicat episcopus ei, qui errores aut scandala disseminaverit, 27. Praedicare non permittant episcopi nisi his, qui ipsis noti sunt, et moribus atque doctrina probati, ibid. Praedicare nullus praesumat contradicente episcopo, 148. Praedicare non possint regulares cuiuscunque ordinis in ecclesiis suorum ordinum, nisi cum approbatione et licentia superiorum, et episcoporum benedictione, 27. In ecclesiis vero, quae suorum ordinum non sunt, etiam episcopi licentiam habere teneantur, quae gratis est

concedenda, ibid. Praedicare non praesumant quaestores eleemosynarii, ibid.
Ad audiendum verbum Dei tenetur unusquisque parochiae suae interesse, 148.
Praefecta quomodo eligenda, 167. Duobus monasteriis nulla praeficiatur, ibid. Praefecta monasteri ante mensem certiorem faciat episcopum de professionis tempore, 171.
Praelati laborent, et ministerium suum impleant, 39. Ovium suarum custodiae incumbant, ibid. Greges sibi commissos mercenariorum more non deserant, ibid. Cetera quoad residentiam quaere in verbis Residentia et Absentia.
Praelati praedicare tenentur, 26.
Praelato coadiutor non detur sine urgenti necessitate, 179.
Praelati prudenter ac diligenter intendant ad corrigendum subditorum excessus, 42. Quoslibet saeculares clericos de eorum excessibus, criminibus et delictis, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem corrigendi et castigandi facultatem habeant, 84. Contra clericos sibi non subditos nullus procedat, 86.
Cetera quaere in verbo Episcopus.
Praepositis suis obedire crebro fideles admoneantur, 190.
Praesentare ad beneficia non liceat, nisi episcopo loci ordinario, 88. Ad quaevis beneficia praesentati non admittantur, nisi fuerint prius examinati et idonei reperti, 49. Liceat episcopos praesentatos a patronis repellere, si idonei non fuerint, 184.
Praebendis tenuioribus ecclesiarum cathedralium et collegiatarum insignium quomodo providendum, 155.
Presbyter, vide Sacerdos.
Presbyteratus, quaere in verbo Ordines.
Principes catholicos Deus sanctae fidei et ecclesiae protectores esse voluit, 188. Debitam sacris summorum Pontificum et conciliorum constitutionibus observantiam praestent, ibid. Decreta concilii ab haereticis depravari aut violari non permittant, 191. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem violari non permittant, 188. Quae iuris ecclesiastici sunt venerentur, nec ab ullis laedi patiantur, ibid. Episcopos paterno honore ac debita reverentia prosequantur, 187. Locum ad monomachiam in terris suis concedentes excommunicantur, 187.
Processionibus publicis interesse debent exempti omnes ad eas vocati, iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt, 169. Mos circumferendi eucharistiam in processionibus pius et religiosus, 61, 63.
Professio in quacunque religione non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur, 170. Professio autem antea facta sit nulla, ibid. Finito tempore novitiatus, superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio eos eiiciant, ibid. Nihil ex novitii bonis monasterio tribuatur ante professionem, quin potius abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quae sua erant, 170 sq. Nulla renunciatio aut obligatio facta valeat, nisi cum licentia episcopi; fiat intra duos menses proximos ante professionem, nec sortiatur effectum, nisi secuta professione, 170. Regularis habitum volens dimittere non audiatur nisi intra quinquennium tantum a die professionis, 172.
Professionis virginum libertati providetur, 171. Ad professionem emittendam quicunque mulierem coegerint excommunicantur, ibid. Item qui eam sine iusta causa impedierint, ibid. Ante mensem praefecta certiorem faciat episcopum de professionis tempore, ibid. Ante professionem virginis voluntas ab episcopo diligenter exploranda, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, ibid.
Promotos per saltum, si non ministraverint, episcopus ex legitima causa potest dispensare, 131. Promoti ad maiores ecclesias munus consecrationis suscipiant, 49, et 127.
Protestantibus conceditur salvus conductus, 68. Ipsis conceditur salvus conductus amplioris formae, ut omnis cunctandi diutius causa ipsis adimatur, 89, et seq. Tertius illis conceditur salvus conductus et quibuscunque aliis, 98, et seq. Protestantium adventum magno desiderio exspectavit Tridentina synodus, 68. Si venerint, humaniter excipiendi et benigne audiendi, 89. Eorum causa definitio aliquot articulorum differtur, 68, 97,

et seq. Nulla spes restat illos amplius adventuros, 191.

Puella, volens habitum regularem suscipere, maior duodecim annis sit, 171. Exploretur ab episcopo ante professionem, ibid. Quicunque puellam coegerint ad ingrediendum monasterium excommunicantur, ib. item qui eam sine iusta causa impedierint, ibid.

Pueri in singulis parochiis docendi, 148.

Purgatorii veritas, 161. De ipso sana ecclesiae doctrina teneatur et doceatur, ibid. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quaestiones, quaeque ad aedificationem non faciunt, a popularibus concionibus secludantur, ibid. Incerta item vel quae falsi specie laborant non evulganda aut tractanda, ibid. Ea vero, quae ad curiositatem quandam ant superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala et fidelium offendicula prohibentur, ibid.

Peccatori poenitenti culpa non ita remittitur, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo, vel in futuro in purgatorio, 39. Animae in purgatorio detentae iuvari possunt, 161.

Q.

Quaestores eleemosynarii praedicare non praesumant, 27. Ipsorum nomen atque usus penitus abolentur, 109 seq.

Quarta, quae funeralium dicitur, cathedrali seu parochiali ecclesiae persolvatur, 184.

R.

Raptor ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes sint ipso iure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, 142.

Raptor teneatur mulierem raptam dotare decenter indicis arbitrio, 142. Raptorem inter et raptam nullum potest consistere matrimonium, nisi rapta a raptore separata illum in virum habere consenserit, ibid.

Regularium suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, 165. Regularis bona immobilia vel mobilia non potest possidere, 164.

Regulares omnes ad regulae, quam professi sunt, praescriptum vitam instituant et componant, 164. Id ut fiat omnis cura et diligentia a superioribus adhibeatur, ibid. Regularium superiores ab episcopo paterne admoneantur, ut debitam vivendi rationem observent et observari faciant, 169. Regulares ab episcopo visitentur, si eorum superiores admoniti eos intra sex menses non visitaverint, ibid.

Regularis extra monasterium delinquens a suo superiore puniatur episcopo instante, 170. Sin minus delinquens ab episcopo puniri possit, ibid. Regularis sine sui superioris licentia neminis obsequio se subiicat, nec a conventu recedat, 165. Qui a conventu recedunt absque sui superioris licentia puniantur, ibid. Absentes studiorum causa in conventibus tantum habitent, 166. Regulares degentes extra monasteria visitari, puniri et corrigi possint ab ordinario loci, 42.

Regulares non audiant confessiones saecularium nisi approbante episcopo, 131. Praedicare non possunt in ecclesiis suorum ordinum absque approbatione et licentia superiorum et episcopi benedictione, 27. In ecclesiis vero, quae suorum ordinum non sunt, etiam episcopi licentiam habere teneantur, quae gratis est concedenda, ibid.

Regularium superiores quomodo eligendi, 166 sq. Regulares personae et spectatae virtutis atque sanctitatis monasteriis praeficiantur, 173. Et in provisionibus qualitas singulorum nominatim exprimatur, ibid. Regulares non ordinentur nisi in aetate requisita, nec sine diligenti episcopi examine, 131. Regularibus tantum conferantur beneficia regularia, 87.

Regularis quacunque de causa volens habitum dimittere, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis; et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram superiore suo et ordinario, 172. Quod si antea habitum sponte dimiserit, ad monasterium redire cogatur, et tanquam apostata puniatur, ibid. Nemo etiam regularis transferatur ad laxiorem religionem, ibid. Regularis ad alium ordinem translatus in ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui superioris obedientia in claustro maneat, et ad beneficia saecularia etiam curata omnino incapax exsistat, 87. Non detur licentia cuiquam regulari occulte ferendi habitum suae religionis, 172.

Regulares publicent in suis ecclesiis atque servent censuras et interdicta ab ordinariis promulgata, 169. Servent dies festos, quos in sua dioecesi servandos episcopus praeceperit, ib. Regulares ab eorum instituto et observantia non censeantur amoveri, 174. Quae de regularibus decreta fuerunt a concilio exsecutioni demandentur, ibid. Et ut fiat, provideatur per deputationem aliquorum eiusdem ordinis, ibid.

Regularium capitula, quaere in verbo Capitulum.

Reliquiae sunt venerandae, 163 seq. In ipsarum veneratione omnis superstitio tollatur, omnis turpis quaestus eliminetur, ibid. Reliquiarum visitatione homines ad comessationes atque ebrietates non abutantur, ibid. De ipsarum honore fideles diligenter instruendi, ibid. Reliquiae novae non recipiendae, nisi approbante episcopo, ibid.

Renunciatio aut obligatio non valeat, nisi cum licentia episcopi fiat intra duos menses proximos ante professionem; nec sortiatur effectum, nisi secuta professione, 170.

Reservatio casuum, 75, et 81. Nulla est in articulo mortis, 75.

Reservationes mentales nemini concedandae, 159.

Reservationibus fructuum non graventur cathedrales ecclesiae, quarum reditus summam ducatorum mille, et parochiales, quae summam ducatorum centum non excedunt, 154.

